





9106mm  
ad ax







CLAVIS  
MEDICA  
ad  
Chinarum Doctrinam  
*De*  
**PULSIBUS,**

*AUTORE*  
R. P. MICHAELE BOYMO, è Soc.  
JESU, & in Ch'na Missionario.

*Hujus operis ultra viginti annos jam sepulti fragmenta,  
hinc inde dispersa, collegit & in gratiam Medicæ Facultatis  
in lucem Europæam produxit*

CL. DN. ANDREAS CLEYERUS,  
M.D. & Societatis Batavo - Orientalis  
PROTO-MEDICUS.

*A quo  
Nunc demum mittitur  
Totius Operis Exemplar, è China recens allatum,  
& à mendis purgatum,  
Procuratore*

R. P. PHILIPPO COPLETIO,  
Belgâ, è Soc. JESU, Chinensis missionis  
Romam missio.

---

ANNO CL<sup>o</sup> I<sup>c</sup> LXXXVI.

CLAVIS  
MEDICINÆ  
CHIRURGIAE  
PULSIBUS  
R. P. MICHAEL BOYMO, Soc.  
HER. & IO. CH. M. M. S.  
DANDREAS CLEFERIS  
R. P. PHILIPPO COPPIO,  
R. P. H. C. CHIRURGUS HU. O.  
H. N. C. CHIRURGUS HU. O.



## AUTHORI

*Vitæ ac Salutis, Medicorum Principi Opt. Max.*

## CHRISTO JESU.



Ui enim potius dedicem & consecrem hoc opus, quām Tibi Authori vitæ ac Restauratori? Sive enim hoc opus considero ut notitiam dare admirabilem illius fabricæ corporis humani, certè Tibi potissimum dicatum esse debet, qui tam admirandæ fabricæ es Architectus. Si pulcherrimum corpusculi & vitæ nostræ humanæ cum vastissimo ambitu cœlorum & utriusque machinæ consensum & harmoniam contémplor, Te imprimis, Te solum venerari debo, qui omnia in pondere & mensurâ usque ad finem tam fortiter suaviterque disponis, & in minimis quoque tam magnus es DEUS. Jam verò si oculos confero in minoris Mundi flumina tot, rivulosque, venas, inquam, & meatus tenuissimos, per quos devecta vita sese communicat, ab uno omnes fonte profectos, ingratus sanè sim, si fontem hunc cuiquam alteri quām tibi, qui es a. & o. principium, inquam, & finis, si, inquam, aliò derivare illos patiar, quām ad Te, Pelagus bonorum omnium, ad quem omnia creata tanquam flumina ad mare currunt, aut si aberrent, exsiccari illico penitusque deficere necesse est. Cui, inquam, quām Tibi, qui es Sapientia æterna, scrutans renes & corda, qui uti potes, ita & vis omnes salvos fieri.

Creaveras Tu quidem hominem immortalem, arborem quoque vitæ plantaveras, sed (eheu!) DEO sibiique injurius sese & totam posteritatem toxico peccati mortifero infecit, do-

nec tandem misertus nostri magnus è cœlo Medicus descendisti, imò & Medicus dici voluisti verè in æternum honorandus propter necessitatem inevitabilem & prorsus incurabilem, nisi omnipotens manus tua remedium contulisset. Evidem ut animæ morbos, qui mortis æternæ sunt prodromi, depelleres, vix aliâ sanè viâ aut medio efficaciori usâ Sapientia divina, quam medendo corporibus. Hinc ibas per Castella & Urbes, sanando omnes à languoribus; Imò medicinas quasdam seu ex luto, seu sputo, seu aquis adhibere dignatus es, ut ita omnes ad Tui & æterni Patris notitiam animarum vulneribus medendo perduceres. Quin imò, ut Te Medicum verum esse ostenderes, languores & infirmitates nostras ipse ferre voluisti, & dolores nostros ipse portare, ut Tuò livore sanaremur, corpus, inquam, & sanguinem Tuum in medelam nobis dedisti, mori voluisti, ut viveremus, malè haberi, ut bene haberemus, & in ipsis Tuis vulneribus, in manibus, inquam, Tuis recipe vitæ nostræ descriptum, adeo feliciter, quod repararas servatum. Neque hoc contentus, sed medicinas animæ etiam tanquam salubres fontes, scilicet, Sacraenta in remedium reliquisti, inter quæ sacratissimum corpus & sanguinem, divinissimam & vivificam panaceam, quâ proprias oves proprio pascis cruento,

Tibi igitur Clavem hancce, Tibi, qui solus aperis & claudis, Tibi, qui nobis & fidei Tuæ, aperuisti tot seculis occlusam Sinam.

Non aliam mercedem expeto laborum, nisi ut aperire pergas oculos cœcorum & aures surdorum, & linguas mutorum facias esse disertas, quibus resonent in æternum laudes tuæ: Denique cognoscant Patrem tuum, & Te Filium, quem misit Pater, Jesum Christum; Hæc est enim vita æterna, ut ex hoc exilio nostri universalí nosocomio in æternam beatitudinem perducamus, & aliquando sociatis agminibus Sinensium, ad experiem omnis morbi mortisque Patriam feliciter transeamus.

Michaël Boymus, S. J.

R. P. MI-

R.P. MICHAELIS BOYMI,

è Societ. Jesu, ex Regno Siam

Anno 1658.

*Præfatio ad Lectorem.*

**M**irabere fortasse, Lector humanissime, qui in animum induxerim meum recondita medicæ artis præcepta apud Sinas penetrare, atque etiam vulgare Europæis; Videtur enim res aliena ab hominे religioso, & ab eo, qui in Sinarum Imperio reducendis ad DEUM animabus attendere debet. Rationem facti accipe, ut admiratio & fortè obrectatio aliquorum aut præveniatur aut tollatur.

Sæpius mecum ipse cogitavi, quid Dominus noster Jesus Christus, qui in hunc mundum salvatorus animas venerat, egerit. Illum occupatissimum in verbo prædicando & docendo Populo omnia vulgant Evangelia; Verùm ut prædicationes & monita, atque illius sancta doctrina audientis Populi Judaici ac Principum aures & corda fortius suaviusque penetrarent, quid putas consilii accepisse, quo medio præcipue usum? Sapientia æterna aliud non reperit efficacius, quam si se Medicum corporum faceret, ut per salutem corporum animabus facilius mederetur. Verbo solo medebatur, & verbum illius ut perditis prodesse posset prædicatum, & immortalitatem persuadebat, cum mortem ipsam Medicus immortalis à mortalibus depellebat. Nimirum per miraculosas curationes febrium, hydropisis, paralysis, lepræ, ac mille aliorum morborum hoc agebat, ut medicinas animabus salutiferas instillaret, & naturam à venenoso esu vetti poni infectam, & omnibus morbis, mortique ipsi expositam ad vitæ immortalitatem adduceret: Neque esse solummodo, sed etiam dici Medicus voluit, dum non esset opus Medico sanis, sed malè

habentibus, se vitam, salutem, resurrectionem vocat. Quæ cum ita sint, quando placuit Deo segregare me supra coetaneos meos, & vocare per gratiam suam, ut evangelicarem illum in Gentibus, continuo vitæ illius conformare me studui. Igitur medium ad salvandas Gentes à DEO adhibitum sequendum decrevi ; Evidem in Europæis successum habuisse apud ægrotos expertus fui, Medicos & illos, qui aliquid de hâc scientiâ se nosse ajunt, habere facilem, imò & ad omnes, aditum, perspicuum est, ad Sinarum etiam lucrando animos & eorum corda pervadenda non inutilem artis hujus notitiam judicavi. Quarè cùm linguae Sinicæ operam darem, eâdem operâ cum characteribus Sinensibus artem illorum medicam penetrare studui, quâm ex lectione plurimâ Sinensium Medicorum : Postea adverti habere adeo magnam antiquitatem & experientiam, atque etiam connexionem earum rerum, quas affrunt, mirabar proinde, quomodo Sapientissimus DEUS non modò similes Europæis Populos in illâ extremâ Orbis parte constitueret, verum eosdem multis naturalibus donis ac talentis, divitiis etiam ac Politia, Artibus ferè omnibus, & nobilissimâ imprimis artis medicæ scientiâ exornavit ; Vulgandam igitur illam judicavi : Quomodo enim celarem tantum thesaurum ? Olim Galenus circuli hujus fabricam admiratus, non alium ejusdem Artificem esse potuisse, nisi DEUM, exclamavit. Considerabat regius Propheta in homine aliquando structuram ossium, & quasi extra se raptus, memor debitæ gratitudinis, ad Conditorem suum ait : Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis est tui ? Non ego, inquit sancta illa Machabæorum mater ad filios, spiritum & animam donavi vobis & vitam, singulorum membra non ego ipsa compedi, sed eam mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique invenit omnium originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam. Profectò sicuti Sapientia DEI & vitæ illius vestigia eluent clarius in medicinis, quas reliquit

reliquit mortalibus : Ita etiam vita hominum, quam ineffabili quodam modo animam rationalem & immortalem tribuere corpori corruptibili fecit, ad quam conservandam & restaurandam etiam artem ipsam medicandi inspiravit, reluet providentia DEI ac sapientia, ut ex hâc vitâ mortali Authorem illius vitæ immortalis homines agnoscere possent. Et si hîc scientiam vitæ restituendæ, & in Medicinis miras operationes vitæ, quam adeo omnes amant, mirantur homines, multò magis admirari Authorem eorum, & laudare vitam ipsam, seu illum, cui omnia vivunt, & in quo omnes vivimus, moveremur & sumus, cogerentur ! Hæc fuit ratio potissima vulgandi novum Sinarum in Arte Medicâ inventum, ut in DEI laudes excitaretur Lector, & miraretur Sapientiam illius, atque ad illam æternam vitam suspiraret, quam DEUS se dare indicat, cum medicinas & artes medicas prorogandæ vitæ propônit ad suam gloriam & bonorum operum incrementum. Suadebat etiam vulgare hoc idem opus utilitas, quam arripere possent ægroti homines & Sacerdotes, qui illorum expiandis peccatis, vel ægrorum ad agonem ultimum disponendorum curam habent : facillimè enim tam infirmi sese in periculo positi, si ad ea scripta animam adverterint, scire posse, & Sacerdotes juvare eosdem ac monere de morte instantे & curâ salutis ex signis & judiciis, quæ hîc multò plura & faciliora habes, quam unquam aliquis notaverit fortè Medicus. Habebit & hîc Philosophus, quod scire aveat, & quod speculetur, si arcana illa, quæ DEUS naturæ indidit, & Sinenses ex antiquissimâ traditione receperunt, perscrutetur, & Microcosmi cum Megacosmo harmoniam quandam atque concentum. Habebit & Mathematicus, cum crises seu decretorios dies, quorum rationem in numeros referre solent, à causis aliis occultioribus procedere animadverteret. Habebit Astrologus, cum cœlorum motum adæquari à regularis vitæ humanæ circuitu, in quem mirabili cum efficacitate influit, Sinenses invenisse

venisse mirabitur. Habebit Physicus, cùm Elementorum mutationes in corpore humano non aliter ac in universo fieri cognoscit. Habebunt Medici, quæ studiosè explorent, experiantur, obseruent, ac in praxin & utilitatem mortalium deducant. Ut autem de veritate dictorum, perlesto illo nemo dubitare posset, partim, ut Sinenses ipsi quoque non ignari aliquando Europæ & latinæ linguae, vera me de Arte ipsorum narrasse, orbi universo possint confiteri, eundem ipsum librum characteribus Sinico-Europæis curavi describi, & interpretationem latinam, (quæ ut facilior esset intellectu, nonnulla verba interserui, & hoc non ex meo capite, sed aut ex textu alterius loci Sinico, vel ex commentariis ejusdem ipsius textus) apposui. Quicunque igitur sine hoc textu Sinicis & latinis characteribus exarato librum hunc videris impressum, fidem illi ne adhibeas, sed ut spurium rejicias, nam prætermisso textu multa vitiosè, & incerta irrepare posse, mihi certum est. Appello ad textum, quem integrum incorruptum quæ adhibeo. Quæso autem, ut à principio quæcunque legeris, memoriâ tenere studeas, nam hæc usui maximo ad posteriora intelligenda. Si initio principia spreveris, ultima intelligere, crede mihi, non poteris, siquidem abrupto filo exitum non facilè invenies; Est enim omnium, quæ Sinenses afferunt, mira connexio, & intellectus unius ab alio pendet. Quare omnia legenda sunt, si vel unicum in hac arte percipere velis dogma. Adverte autem, modum legendi Sinensium diversum esse ab Europæo, nam illi à finist à incipiunt legere, & præterea à summo margine descendendo deorsum, & hoc secundum in libro hic adjuncto observatum à me videbis; Primum verò illud mutavi, & ad modum legendi receptum à latinis accommodavi.

Caterūm scias, velim, humanissime Lector, me, quæ in hâc clavi post multum laborem & diligentiam conjeci, pleraque ex authenticis ac in Imperio Sinarum receptissimis libris

bris Medicorum, & qui ex jussu Tribunalium & ipsius Imperatoris vulgati, atque iterum & iterum recusi sunt, accepisse, & plura alia habere vulganda, si DEO placuerit. Ac proinde de certitudine Artis mihi dubium nullum est, neque enim mentiri toti Imperio ausi fuissent, aut illis imponere per tot ætates, quorum jussu ista elucidata sunt; Adde, quod Ars ipsa seu ipsius fundamentum antiquissimum sit, & commentarii novi cum antiquis ferè concordent, & quod ego maximè obstupui, quasi iidem sunt, quæ conformitas in tantâ varietate ingeniorum, multitudineque hominum, atque vicissitudine cuilibet sanè admirabile videri potest ac debet. Ac proinde ego quoque post clavem Sinicam textum ipsum antiquissimi omnium libri medicæ Artis subjunxi, partim, ut ex eâ quam dixi autoritatem habere possent, partim, ut de ejus fide, prout à me translata sunt, nemo sinistrè sentiret aut suspicaretur.

Stylus in hac clavi pedestris est potius & tumultuarius, quam concinnus & elegans: secutus enim sum, quantum quidem potui, modos loquendi Sinensium, qui quam ab Europæis sint diversi, ex lectione patebit. Memor fui magni illius Augustini, qui libro quarto de doctrina Christianâ Cap. XI. ait: Bonorum ingeniorum insignis est indeoles in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperte quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est.

*Alia Praefatio ante librum receptarum ponenda.*

*Eiusdem P.*

**L**Iber hic, qui sequitur, est ratio seure regula medendi Sinensis usitatissima, quam ille nobilissimus & primus Medicorum invenit & composuit, quamque Arti pulsuum explorandorum ab ipso traditae nām xō hō Auctor adjunxit, hodieque sequuntur Medici Sinenses omnes, qui quidem, et si non haberent ab ipso pulsū infirmi, omnino securi sunt, quod medicinæ pulsibus hic præscriptæ morbis quoque medebuntur, longā quique experientiā compertum habent, quod medicamenta hic allata certam afferant curationem. Igitur si curatio non succedat, vel ajunt, indebitè adhibitam, vel non probè cognitos pulsus, vel certè malum hoc cum altero malo coniunctum esse, vel denique medicinam pulsui, cui mederis impossibile, adhibitam. Quapropter quicunque voluerit his uti medicamentis, sedulò ac diligenter, obsecro, sese exerceat in pulsibus explorandis ac discernendis, ne librum hunc, quo vitæ plurimorum consulere volui, temeritas alicujus atque imperitia non sine meā immerentis invidiā faciat esse lethiferum.

Sed occurruunt tibi fortasse medicinarum Sinicarum prorsus ignota nomina & ipsæ adeo medicinæ, unde impossibilem esse usum Europæis libri hujus concludis. Desiderabam equidem remedium afferre huic difficultati, & jam defacto proposueram herbarium Sinense confidere, ac medicinarum, quibus utuntur, virtutes & herbarum imagines proprias describere; Sed cum hoc longum tempus & laborem exigeret, nec non otium & commoditatem, quam Ego nactus nondum fueram, differre rem in aliud tempus perficiendam, DEO favente, decrevi. Olim cum ex Sinis in Europam proficerer, & Goæ subsisterem, Amicis Macaensibus scripsoram, atque etiam sumptus

sumptus suppeditaveram, quibus medicinas Sinensium, quarum ferè omnium catalogum adjunxeram, ad me transmitterent in Europam, & hoc quidem eo consilio, ut medicinae Sinensium cum Europæis conferri possent, & vel cognosci, vel à peritis similes & ejusdem efficacia pro eis substitui. Verum desiderium hoc finem & postulatio effectum sortiri illo tempore non potuit. Verum si seriò medicinas, quas habent Sinenses, & quas hic legis, habere desideras à Mercatoribus, qui in Indiam vel Macaum abeunt, descriptis ex hoc libro Sinicis characteribus afferri curabis. Nam sicut Rhabarbarum & radix Sinica defertur in Europam, & tantâ quidem copia: Ita & alias medicinas deferri posse certum est, quippe quæ in variis locis Imperii Sinarum uti nascuntur, ita etiam colliguntur & vili pretio veneunt.

Potiones hic & pulveres & pilulas invenias, per hæc enim tria Sinenses medentur malis omnibus; Verum necesse est ea, quæ observanda dicunt, observare sedulò, cum ratione viatùs ab ipsis præscripta, de quâ egi pluribus in fine clavis medicæ.

Nota etiam, cùm de pondere hic loquimur, Sinas quidem prorsus ignorare pondera Scrupulorum, drachmarum, & ana, quibus utuntur Medici Europæi: Apud illos in usu est pondus, quod *seum* vocant, quod æquat pondus scuti romani, continetque decem Julios quasi partes æquales: Singulorum pondus vocant *Czen* Julium, porrò Julium ipsum seu *Czen* subdividunt in decem partes æquales, quas appellant *Fuen*: *Fuen* autem dividunt in decem *li*, & sic deinceps.

His tribus ponderibus non solùm alia, sed etiam medicinas ac illarum doses ponderare solent.

Item nota, quod aquam metiuntur magnâ paterâ & parvâ paterâ (vulgò) Porcellanâ, ex quâ vinum vel *cha* seu *the* bibunt. Ego calicem verti ordinarium, qui nec adeo parvus nec adeo magnus sit, & magnum calicem pro paterâ substitui.

Jubetur quoque decoctio fieri medicinarum in aquâ, quod intelligi plerumque debet, ut ex aquæ partibus decem tres absumentur, ac septem remaneant ordinariè loquendo, nisi aliud in loco particulari notatum videris.

Ad extremum praxis medicandi, quam ad finem clavis medicæ addidimus, est sequens: Probè cognito pulsu, qui irrepsit pro connaturali in quemcunque ex tribus locis (neque enim differt, sive dextræ loca sint, sive sinistræ) consule librum, & in hoc Medicinas, quæ isti pulsui præscribuntur, cura illas fieri accsumi. Quòd si exactus vis esse, consule pulsum illius loci, primi scilicet vel secundi, vel tertii (*cùm quan che*) planè sicut invenisse ægrotuim, & medicinas pro primi, vel secundi, vel tertii loci pulsibus irrepentibus, sive illa sit potio, sive pilulæ, sive pulvis, fac confici illa, & ante vel post cibum, seu jejuno, tepida vel calida, uti præscribitur ibidem, sumenda porrige, quoad videris, pulsum connaturalem rediisse, itera. Unum hic advertas, velim: Cùm Climatum Europæorum & Sinensium, item orizæ & tritici, item modi ipsius vietus (Sinensium e. g. ut potus ac cibus omnis sit calidus, Europæorum non item) & aliarum ejusmodi rerum magnum sit discriminem, hujus tanti discriminis cauto ac prudenti Medico in ægris curandis, ac feligendis medicinis habendam esse rationem.

Boni igitur consule laborem hunc qualemcunque meum, qui me per annos omnino decem inter occupationes & multas & graves, suis quoque intervallis occupavit, quia omnino videbar mihi facturus operæ pretium aliquod. DEUM admirare, Lector, qui hominibus vitam tribuit, & hujus ipsius vita tam, arcanum artificium voluit esse perspectum; DEUM ama, qui cùm tot meritò nostro animæ corporisque malis urgeamur miseri mortales, & his & illis tam apposita tamque efficacia remedia subministrat.

*Annotatio ad hanc præfationem de re-  
ceptarum libro.*

**R**eceptarum Sinensium liber videtur Europæo parùm utilis esse. Ratio 1. Quia herbarum genera pleraque ignota sunt, & in Europæo solo nondū nata. 2. Radices & herbæ, tametsi siccatae, in Europam transferri plurimæ nequeunt, quòd à vermiculis & tineâ exedantur, antequam Macaum aut Baraviam ferè pervenerint, quantò magis, si in Europam transmittantur. 3. Ex ipsismet herbis aut radicibus arentibus vix potest Medicus discernere, an alibi in Europâ similes reperiuntur: Opus foret percurrere Chinam totam, & herbas arborescuae vivas adhuc & spirantes consulere. 4. Herbæ & radices, quæ in Pharmacopoliis veneunt, magnâ priùs curâ præparandæ sunt, quædam vino, aliæ aquâ purâ aut salsa, aut orizæ, aut triticea, aut parvuli lotio, aliæ aceto nonnihil macerandæ, aliæ farinæ massâ, aliæ nucû, aliæ glebâ terræ involvendæ, & sub cinere & igne lento mortificandæ, aliæ sacchari aut glyzirrhicæ aquâ, aliæ vaporibus aquæ bullientis imbibendæ, ac dein aut vento aut Soli à nonâ matutinâ usque ad tertiam pomeridianam exponendæ, ut sit in Rhabarbaro, quod novies vapore aquæ imbibitur, & singulis vicibus Soli siccandum exponitur, ut diutius servetur, & à malignitate, quam habet, depuretur, servatâ tamen virtute naturali, quæ, cùm sit admodum frigida, potius per ignem seu Solem sese intra magis recolligit, quâm foras se effundat aut dissipetur: Aliis item herbis & radicibus eruitur nucleus, aliis cortex, in quarundam usu à contrariis cavitandum, aliis etiam addenda quædam, quæ sint vehicula dietarum herbarum, ut est v. gr. Zingiber, & alia similia. 5. Quædam radices & herbæ, quæ priscis temporibus certo morbo erant proficuae, multo usu comperere, hisce temporibus eidem malo noxias & penè lethiferas; Denique attendendum ad clima, complexionem, victum & potum Sinicæ gentis,

gentis, si enim alia applicent medicamenta Australibus Populis, alia Borealibus in uno eodemque morbo, quid faciendum putabunt, cum toto orbe ferè divisis Europæis? Quare supercedendum videtur hisce receptis, si modò apprimè noscatur pulsus, & ex his morbi qualitas. Non defunt in Europâ omnis generis medicamina lenientia, confortantia, restaurantia, evacuantia, temperantia, refrigerantia, calefacientia &c. Qribus morbis jam probè cognitis medeantur, ut non sit opus ea à Sinensibus emendicare. Sed videlicet hic cardo rei est, hoc opus, hic labor, probè pulsus dignoscere, requiritque subtilissima ad hoc ingenia, & usum experientiamque valde longanimem, uti ipsi dicunt. Quare si otium feret, conabimur aliquid de pulsibus annotare, quæ fortè hic desiderantur, & proferre in medium, quî de unico saltem morbo, v. gr. febre malignâ, discurrant Sinenses Medici, ( si tamen discurrunt) ut ex uno velut ungue de reliquis ferant judicium. Esta autem, quòd non parùm credibilia sint censenda, quæ de morbis dicunt, cùm multi Medici totâ vitâ non aliam curam suscipiant, quam curandi unicum morbum ( idque ab Atavis acceptum in familiâ sua Nepotes observant) alii febrem hereticam duntaxat, alii malignam, alii puerorum solummodo morbos, alii solas variolas, alii mulieres tantùm, quæ omnium difficillimæ censemur; utpote, ubi morbi ex solo pulsu dignoscendi sunt: nam ex coloribus & signis exterioribus ( quæ item examinari volunt Medici) in fæminis honoratioribus, cùm eas videre non liceat, nihil colligi nec judicari potest.

R.P.MI-

R.P. MICHAELIS BOYMI POLONI,  
è Societate Iesu, è Regno Siam,  
Anno 1658.

*Ad Medicos Praefatio.*

**P**roducimus in vestrūm, Viri Clarissimi, atque totius Europæ conspectum ab ultimis terrarum finibus antiquissimum & nobilissimum Medicorum omnium. Si genus scire avetis, est sanguine & dignitate Imperator; Si ætatem, profectò Avicennâ, Hippocrate, Galeno & Celsò multò antiquior, nam 400. & paulò ampliùs post diluvium annis vivisse refertur, & imperare cœpit anno ante Christum 2697. An Patriam scire desideratis? Hōnām Imperii Sinarum Provincia, *k'ài fūm* Metropolis, Civitas *syn pi* tanti viri Patria est. Nomen illi est *Hoāmti* id est, flavus Imperator. Hic equidem primus medicinas apud Sinas excoluit, & ejusdem artis præcepta posteris tradidit, atque cùm ob multa præclarè facta de Imperio ille optimè esset meritus, per hanc quoque artem mortales sibi voluit demereri, atque adeo etiam nunc in arte suâ superstes deposito fastu & peregrinam à suâ edocitus lingua, iter ferè medii Orbis suscepit, Europam petens, vitam multis, quâ caret ipse, conservaturus. At, inquies: Quid novi adfert hic tuus Medicus Imperator? Fortasse in Anatomia plus reperit, quam Europa sciat à Rondeletio, Vesalio & Bartholino? Minime, nihil hic Medicorum primus de hac re ex proposito egit, et si Medici Sinici illum secuti multa obiter dicant, atque etiam in imaginib[us] ea, quæ latent in homine, depicta habeant. Vidi ego exactas earum imagines, putasses Europæas, cum descriptione Anatomiæ humanæ. Verum, utrum hanc artem ipsi ex hominum sectione nacti fuerint, in nullo reperi potui, atque crediderim, exercuisse aliquando Sinas sectiones, siquidem omnes vel imaginariam crudelitatem hor-

tem horrent, & mortua cadavera, qui sic apud illos tractaret, quocunque illud fine ficeret, esset execrabilis. Quid igitur hic Medicus Sinicus adfert novi? Numquid novas medicinas per Artem Chymicam repertas, aut herbarum genera plura invenit, quam Dioscorides & tot alii in Arabiâ, Graciâ, Indiâ Europâ aut Africâ, qui ingentes libros cum herbis depictis ad vivum vulgârunt.

Non solum in hoc excelluit hic Sina Medicus, utpote qui multas medicinas & herbas Europæis incognitas, quibus uti jubet in medendo, monstrat. Cæterum de Chymia nil habet, habebit sanè vitæ, mortis, morborum aphorismos aut de pulsibus novi aliquid. Sed quid credibile sit, quod non jam Hippocratis ingenium, & qui illum sunt secuti in genere aphorismorum non totum, quod possit sciri, repererint? Quis verò uberior & excellentius de pulsibus doctrinam tradere poterit, quam Galenus, & post illum tot alii præstantes Medic? Etenim Medicum Hoamti antiquissimum aphorismos omnino alios ab Hippocrate adferre, similiter & scientiam de pulsibus omnino diversam à Galeno, & à nullo vel per somnum imaginatam, præterea rationem medicandi morbis aliam & novam prorsus ab Europæa invenit & tradidit, & hæc omnia, quæ dixi, à diluvii ferè ipsius temporibus. Hæc ego omnia cum Authore suo in conspectum vestrum, Viri expertissimi, profero, & in clavi medicâ, quam fieri procuravi ad reserandam Artem in libris reconditam, descriptâ quilibet poterit invenire. Planè aphorismos hic Sina-Medicus vitæ ac mortis in Scientiâ pulsuum fundat, ex quibus non mortem solum vel morbos docet prædicere, verum affectiones & qualitates, quæ à morbis causantur, & vix quemquam inter Sinas Medicos reperias, qui à circumstantibus, quid morbi habeant, æger, perquirat, vel quid passus fuerit, siquidem ille post pulsum exploratum omnia divinat, & ad miraculum morbum, & quæ ex illo orta sunt aut oritura, docet, imò mortem non ad dies

dies tantum, sed ad menses, ad annum & annos potest prædicere. Olim legi, Galenum aliqua ex pulsibus prædictis, imò & prædicere docuisse, ut si quis jam comedenter, vel laborat aliquā passione, & etiam aliquo alio morbo. Verum ut universaliter omnes & singulos morbos ex pulsibus cognoverit, vel hoc percipere, eorumque affectiones divinare ille vel alias ab illo docuerit, hucusque quod sciam, fuit nemo. Solus hic Imperator hanc artem edocuit, cuius præcepto observando Medici Sinæ hodieque apud Sinas & genera morborum quæcunque ex illis consequuntur, certò assequuntur. Sed quid, inquies, de pulsibus habere potest, quod non jam à Galeno aliisque sit repertum? Supra retuli, quod prorsus alia, imò & contraria nec opinata habeat, & quanquam hæc fusiūs in clavi Medicā retulerim, per transennam hīc aliqua subjicio. Omnes cum Galeno unius tantum manus pulsum explorare jubent, Hoāmti ambarum. Galenus sinistram manum duntaxat; Hoāmti præter sinistram etiam dextræ prius jubet explorare pulsus, quod videlicet ibidem vita incipiat, desinatq;. Galenus contendit, unicum locum in sinistrâ ad hoc sufficere: Hoāmti in dextrâ tria loca, totidem in sinistrâ ad pulsus cognoscendos esse necessaria, nec hoc contentus, in brachio tam dextro quam sinistro in profunditate cujuslibet loci superficiem, medium & profundum, (hoc est, ad pellem & carnes, ad sanguinem & nervos, denique ad ossa) qualem pulsum habeant, explorare & distinguere docet. Præterea in fœminā & viro naturales etiam pulsus in dictis tribus locis diversissimos observavit. Quid amplius? Levitatem & gravitatem inesse pulsibus ostendit. Quid deinde? Mensuram pulsum infallibilem vitæ & morborum regulam, quæ intervallis constat spirationum, præscripsit. Mensuram temporis se ignorare ingenuè fatetur Galenus, quamvis multo tempore desudaverit in illâ quærendâ. Quid dicam de qualitate differentium inter se pulsuum, atque admirabili illâ repertâ conexione

nexione ac certitudine cum affectionibus, quas prædixit? Quid dicam de causis, quas assignavit in differentiis pulsuum. Quid de circuitu sanguinis & Spirituum, atque reciprocatione? Quid de prædictionibus & coloribus, sonis, saporibus, odo-ribus & liquoribus? Quid de reliquis, ac postremò de ipsâ ar-te medicandi? Nimirum pulsibus Sinenses medentur, & non morbis, imò verò morbis per ipsos pulsus; Hoc est: cùm pro naturali irrepisse contranaturalem cognoverint pulsum, me-dicinam adhibent pulsui contranaturali, ut aut abeat, aut re-deat ad naturalem, quô quid mirabilius? Quid referam de scientiâ pulsuum, quomodo videlicet se mutuò pulsus produ-cant, augeant, invadant & destruant? Sed hæc atque alia scire qui velit, medicam clavem accipiat, ac singula consideret. Unum moneo, ut ne ingredientium hoc Sinense conclave nova rerum species offendat animum, postquam lustraveris omnia, de opere toto & fabricâ sententiam feras licet.

Quisquis autem non assecutus fuerit rationes & causas omnium, quæ tradimus, experientiam ipsam consulat, & meminerit, illud, quod usu tot seculorum, quod in florentissimo maximoque Imperio probatum fuerit, quod etiamnum vigeat maximè, sicut Batavi, Angli, Lusitani, cæteræque Nationes, quæ ad Sinarum portus accedunt, te-stari possunt, non posse non suas habere causas, easque solidas, qui-bus innitatur Ars illa morbos prædicendi.

Agite! Viri Clarissimi, & hanc Artem vos ipsi pro vestro inge-nio excolite! Et sicut his, qui acceperunt à Galeno vel Hippocrate Majores vestri studiis ac lucubrationibus suis multum lucis ac splen-doris attulerunt: Ita & vos æmuli avitæ laudis expolite hoc opus & illustrate, atque efficite, ut Sinenses hos pulsus clariores ab Europæis jam redditos audiamus aliquando Orbe toto personare. Finem fa-cimus, & rogamus, ut laborem hunc nostrum qualemcumque contra ingratis & Obtrectatores defendatis: Denique ut precemini DEUM Opt. Max. ut hunc Populum, quem ab Arte medendi corporibus adeo instruclum esse voluit, non patiatur diutius carere peritis animarum Medicis ac coelestibus medicinis, adjuvante illo, cujus livore sanati sumus, qui est salus, vita, resurrectio omnium, cui soli honor & Im-perium in secula seculorum.

R. P. MI-



R. P.  
MICHAELIS BOYMI POLONI,  
è Societate JESU,

# CLAVIS MEDICA

*ad*

Sinarum doctrinam de pulsibus.

## CAPUT PRIMUM.

*Quænam sit in homine vita ac sanitatis causa.*

**P**risci Sinenses viventem & sanum hominem per certam duarum qualitatum, quas *yām* & *iñ* vocant, conjunctionem & quasi consensum constitui credunt. Per *yām* calorem primigenium, per *iñ* humidum radicale volunt intelligi. Porrò Spiritus & sanguis ambo in corpore humano dicti humidi radicallis & caloris primigenii dicunt esse vehicula, (quam ob causam etiam iisdem apud Sinenses nominibus *yām* nimirum & *iñ* designantur,) quæ si inter se aptè & cum proportione cohaereant, primigenium quoque calorem, & humidum radicale quam optimè habere, atque inde perfectam hominis vitam ac sanitatem existere & conservari affirmant.

*Jñ* inquiunt Sinæ (quâ voce hominem significant, quem & hoc charactere  describunt) ex *yām*, cuius est hæc nota , & in cuius nota est ista  conjunctis compo-  
nitur.

nitur. Sicut autem ex illis duabus descriptis notis Sinicus ille Character, sive hominis significatio tota coalescit, & quemadmodum ex notâ vocabuli *yām* conjunctâ cum notâ *in* vocabulum resultat, significans Sinicè hominem, *yām* scilicet: Ita persuasum est, illis ex qualitatibus in temperamento humano *yām* calore primigenio, & *in* humido radicali inter se mutuâ unitis certam hominis vitam & sanitatem existere. Verum hanc interdum ex incongruâ dictarum qualitatum coniunctione aut violentâ separatione alterari primum & languere, dissolvi deinde, ac postremò tandem extingui. È ferè ratione, quâ Sinicus Character  quando ejus binæ partes  &  dissolvuntur, totam hominis significationem prorsus amittit.

Binas illas primigenias qualitates in principalibus corporis humani membris & intestinis velut in suis recondi fontibus, & inde in reliquum diffundi corpus, atque ab illis juxta eorum naturam, à quibus promanant, vitam ac sanitatem, actum & operationem singulas corporis partes pro suâ quamque exigentiâ accipere arbitrantur.

Quod si aliquando, quas modò diximus, qualitates in membris ac intestinis, vel omnibus, vel aliquibus alteratas, immutatas reperiunt, tum morbos enasci, vires ac vitam deficere, & mortem imminere; Contrà verò, si integras ac sibi aptè invicem harentes, valere hominem, integris esse viribus, ac fore longævum, certò conjiciunt.

Manifestum proinde est, apud Sinenses Medicos vitæ ac sanitatis in homine causam existere ab *in* humido radicali, & *yām* primigenio calore, prout vita per Spiritus & sanguinem ex illis promanans, cum debitâ proportione universum corpus hominis & singulas ejus partes quasi rigat, penetrat, informat ac vegetat.

CAPUT

## CAPUT SECUNDUM.

*Quænam sit in homine vita sedes.*

**P**Artes humani corporis dividunt Sinenses in *Cám & fu.*  
Prior vox accipitur pro membris , posterior pro intestinis

Membra principalia , quibus inest potissimum in humidum radicale , sex numerant.

Ex parte sinistrâ : *Sin* ; cor , *kan* hepar , *Xin* renes ; Ex parte dextrâ : *si* , pulmones , *pi* lienem , *mim* mucus portam vitae.

Intestina similiter , aut si mavis interiora , quibus potissimum inest *yám* primigenius calor , sex numerant.

Ex parte sinistrâ *Siao chám* , minora propriè dicta intestina : *fu* , folliculum fellis : *pám kuám* ureteres.

Ex parte dextrâ *tá chám* , id est , intestina majora propriè dicta , *quey* , stomachum : *sin crao* tertiam partem corporis.

Etenim dividunt Sinenses corpus humanum in tres partes : Prima est suprema pars , dicitur *Xam crao* , estque ea , quæ à capite protenditur ad pectus : Media *chum crao* , à pectore ad cingulum sive umbilicum : Tertia & infima *hia crao & san crao* ab umbilico ad plantas pedum pertingit.

Membra Sinicè vocantur *Cám* , quod recondere significat ; Recondunt enim vel cibos , vel sanguinem , vel liquores , vel humores , vel spiritus . Intestina appellantur *fu* , quod idem est ac atrium sive colonia , quia scilicet illa , quæ in membris reconduntur , ad interiora tanquam ad atria seu colonias membrorum deferuntur . Cùm verò principalia tum membra , tum intestina , ob viciniam plurimum inter se conspirare , mutuoqué sibi inservire comperissent , singulis ideo membris singula adnexerunt quasi intestina .

Atque ita ex parte sinistrâ cordis quidem membro minora intestina ; hepatis membro folliculum fellis, renum membro ureteres ; Ex parte autem dextrâ : pulmonum membro majora intestina ; lienis membro stomachum, portæ vitæ tertiam partem corporis adjecerunt. In his autem membris ac intestinis humidi radicalis & caloris primigenii qualitates eis ab ipso ortu congenitas residere & conservari, & easdem pro diversitate temperamenti per diversos motus, spiritus & actus, vitam in corpus universum diffundere affirmant. Egerunt hoc enim summâ cum diligentia Sinarum primi Medici, ut singulorum membrorum ac intestinorum perspecta haberent naturalia temperamenta & affectiones. Quæ omnia atque imprimis consensum eorum ac dissensum, cùm ex pulsibus se certò posse deprehendere, diuturno usu didicissent, (prorsus uti periti fidicines exploratis cytharæ suæ nervis, & horum & cytharæ totius vel consonam, vel dissonam constitutionem) pulsuum ipsi pulcherrimam scientiam Posteris tradiderunt. Quæ quidem scientia ad hæc usque tempora conservatur ac viget, & nos eam infrà, DÉO favente, aperiemus.

Porrò *con contenti* in sex membris & adjunctis sex intestinis origines & fontes vitæ detexisse, horum ipsorum certa indicia per totum exquisierunt corpus humanum. Et cùm in diversis partibus corporis diversa reperissent, in capite potissimum tam membrorum quam intestinorum, vitæ ac sanitatis, morborum, & mortis certiora signa apparere cognoverunt, quæ signa illi quidem *heu cyé* vocitant, nos postea exter nos temporariæ constitutionis indices appellabimus.

Ajunt insuper alligari exteriora sensuum organa, (quæ utique & in capite spectantur præcipue) vitæ fontibus, membris, inquam, & intestinis, adeoq; linguam cordi, nares pulmonibus, os lieni, aures renibus, oculos hepati. Quia imo ex colorum, qui in fronte, oculis, naribus, auribus se ostendunt varietate : Ex saporum, quos lingua vel sentit, vel appetit,

petit, vocis etiam, quam profert æger discriminé ac diversitate se posse vitæ mortisque tempora certâ assequi conjecturâ, non vanè glorianter. Unde ex memoratis sex membris & totidem intestinis (quæ sunt duodecim origines, aut potius, si membris intestina adnexa numeremus, vitæ fontes omnino sex) in reliquum corpus, atque etiam in exteriora sensuum organa per humidum radicale & calorem primigenium vitam derivari contendunt. Et quemadmodum membra & intestina diversimode sunt temperata, & interdum alias atque alias affectiones subeunt: Ita annexa sibi organa, aliasque subditas sibi & vicinas corporis partes aliter atque aliter afficiunt.

Adverte autem obiter, Sinenses modò dicere esse sex membra, modo quinque, videlicet hepar, cor, pulmones, lumen & renes, quia nimirū renes duplices sunt, quatenus est in sinistrâ parte corporis, renis nomen obtinet, quatenus autem in dextrâ, porta vitæ dicitur. Rursum Sinenses modò dicunt, esse sex intestina, (quæ, ut suprà diximus, totidem membris jungunt) modò quinque, scilicet parva & magna intestina, fel, ureteres, stomachum, quā San Cjao tertia pars corporis magis ad extra est, atalia intra sunt. Quod verò tertia pars dicitur, esse sextum intestinum, quamvis non habeat figuram propriè dicti intestini, sit ex eo, quia est locus interiorum Spirituum, unde etiam jungitur portæ vitæ, quæ est ipsorum officina.

Ex dictis deducitur, quòd in homine vitæ sedes in duodecim originibus, sex, inquam, vitæ fontibus constituantur.

Superest explicemus, quomodo membra principalia humidum radicale, & principalia intestina calorem primigenium pro suo quæque temperamento in totum diffundant corpus, & ejus singulas partes, seu quod idem est, per quas vias seu meatus vitæ, quæ diversimode in singulis membris

ac in-

ac intestinis residet, ad humani corporis multiplices ac differentes operationes sanguine ac Spiritibus quasi vehiculis subiecta deferatur.

### CAPUT TERTIUM.

*Per quas vias seu meatus principalia tam membra quam intestina, illa scilicet, que sunt origines seu fontes vitae ac sanitatis cum reliquo corpore humano vitam communicent ac sanitatem.*

**S**inenses Medici constituant ad dexteram tria membra, & tria eis annexa intestina, totidem quoque ad sinistram, ut, modò à nobis superiore capite est dictum. Porrò à membris (*iñ*) humidi radicalis, & ab intestinis (*yám*) caloris primigenii virtutes inter se permixtas, unitâ efficacitate in reliquum corpus dimanare, sequentibus describunt viis, A sinistris nobilissimum, inquit, cordis membrum derivatur humidum radicale ad manus, vocaturque hic meatus (*xáo xán yn kim*) manuum à corde diminuti humili radicalis via. Adnexa verò cordis membro minora intestina derivant eodem calorem primigenium, atque adeo vocant hunc caloris ductum (*xeú tái jám kim*) manuum à minoribus intestinis primigenii magni caloris viam.

A duabus ipsis viis indicantur duæ origines, quæ consti-  
tuunt vitæ unicum fontem, eodem modo de reliquis in-  
tellige.

Hepatis membrum demittit humidum radicale ad pedes, vocantq; hunc canalem (*Co kiue yn kim*) pedum ab hepate de-  
fectuosi humili radicalis viam. Et quia ab adhærenti hepatis folliculo fellis calor primigenius item ad pedes sese diffundit, vocatur (*Có xiaó jám kim*) pedum à folliculo fellis diminuti caloris via. Ad pedes rursus humidum radicale à renum membro

membro delabitur, idcirco (*C'ō Xāo ym kīm*) pedum à renūm  
membro diminuti humidi radicalis viam appellant. Ut &  
(*C'ō tāi jam kim*) pedum ab ureteribus magni caloris primi-  
genii viam: quia scilicet ab ureteribus ipsis renibus con-  
junctis primigenius calor ad pedes procedit. Et hactenus  
quidem partis sinistræ meatus indicati sunt.

Jam verò à dextrâ parte pulmones, inquiunt, humidum  
radicale diffundunt ad manus, nempe per (*Xeu tāi yn kīm*)  
id est, manuum à pulmonibus magni humidi radicalis viam.  
Item calor primigenius à majoribus intestinis, quæ cum ipsis  
pulmonibus conjuncta sunt, profectus, insinuat sese manibus  
per meatum (*Xem iām mīm kīm*) manuum à majoribus inte-  
stinis caloris primigenii puri & lucidi viâ.

A liene humidum radicale, à stomacho autem, qui lie-  
ni proximus est, calorem primigenium manare ad pedes, do-  
cent. Hujus meatum (*ço iām mīm kīm*) pedum à stomacho  
caloris primigenii puri & lucidi viam; Illius (*C'ō tāi yn kīm*)  
pedum à liene magni humidi radicalis viam vocant.

Denique ex vitæ portâ humidum radicale procedit ad  
manus, dicitur (*xēu kiñe yn kīm*) manuum à portâ vitæ defe-  
ctuosi humidi radicalis via. Et huic adjuncta tertia pars cor-  
poris calorem primigenium dat pedibus viâ, cui nomen in-  
diderunt (*Xēu Xāo iām kīm*) id est, pedum à tertiatâ parte cor-  
poris diminuti caloris via.

Hâc ratione totum corpus humanum ex Sinarum sen-  
tentiâ humido radicali & calore primigenio penitus imbutum  
ab his ipsis vigorem accipit ac vitam, quæ utique ab suis origi-  
nibus ac fontibus per eos, quos modò retulimus, meatus  
promanat.

Vitæ autem duodecim ad origines duodecim, sex, in-  
quam, membra, humidi radicalis principia, & sex intestina,  
caloris primigenii spiracula, quasi calles duodecim & totidem  
vitales fontes deducunt: Fontes tamen hi non nisi sex vul-

gō numerantur, quia nimirum quodlibet dictorum membrorum & intestinorum nonnisi ex mutuo quasi consensu & uno eodemque influxu, vitam de qualitatibus modō dictis resultantem per vias memoratas in corpus humanum derivat.

Quisquis igitur naturam ac temperamenta istorum sex vitæ fontium vel duodecim originum probè cognoscit, sine dubio constitutionem totam membrorum ac intestinorum perspectam habebit. Quisquis præterea duodecim viarum dispositiones & affectiones eis congenitas, incrementa quoque & decrementa, adhæc alterationes & alias qualitates assecutus fuerit, is sanè membrorum & intestinorum corruptiones, morbos & interitum facilè conjicere ac divinare poterit.

Quomodo verò sex vitæ fontium, sive duodecim originum (membrorum, inquam, & intestinorum) natura ac temperamenta, atque ab his promanantium duodecim viarum qualitates, tum naturales, tum etiam præter naturales à Sinensis deprehendantur, nunc est porrò declarandum.

#### CAPUT QUARTUM.

*Quæ sit natura, quæ temperamenta & qualitates viarum duodecim ab originibus duodecim ductarum, & vitam ac sanitatem in corpus humanum convenientium.*

**S**Upponunt Sinenses, Elementa mundi à cœlo & coniunctis cum cœlo qualitatibus yām videlicet, calore, & yām humido (quorum duo sint orta ex t'ai kiē, quod chaos seu materiam incompositam significat) processisse, non esse pauciora, quam quinque contendunt: Terram, Metalla, Aquam, Arbores sive Aërem, Ignem. Rationem verò hujus esse, quod hoc quinario omnia, quæ videntur & sunt in universo, contineantur: Unde & Elementa vocârunt, quasi genera prima rerum, ad quæ reliqua possint reduci,

Hominis

Hominis corpus, ejusque membra & intestina, non inter simplicia constituunt, sed mixta. Verum cum in horum mixtione & temperamentis comperissent, in quolibet membrorum & intestinorum unam aliquam unius Elementi praeceteris qualitatem dominari, singulis membris & intestinis singularum vocabula Elementorum indiderunt. Atque ita similem partem corporis humani praestantissimo cordis membro, quod rubei seu ignei coloris, quod & amari saporis esset, quod praeceteris membris effervesceret & astuaret, & similiter annexis cordi parvis intestinis (*h*) id est, ignis Elementi nomen tribuerunt.

Utraque vero ad Australem plagam, & *ligua* regionem sic dictam spectare, quod ibi ex eorum sententia Elementum ignis quasi in propriâ sede resideat, & aestate maximè effervescat, (unde fit, ut cor in aestate suas praeципue prodat qualitates) affirmant.

Hepatis membro nomen & naturam *mo*, id est, arborum, plantarum, aëris & ventorum, & similiter folliculo fellis ob colorem cœruleum & subacidum saporem assignant. Utraque ortum respicere, & *Xin* cœlorum regionem, quod inde vis vegetandi & venti tanquam ex nativo loco profiscantur, & quod in vere vires suas uberioris explicitent, (unde hepatis affectiones tunc maximè spectantur) docent.

Renum membro & ureteribus, *Xui*, id est aquæ Elementum inesse volunt, quod in illis salsuginosus quidam sapor, nec non ater color, & potissimum frigiditas seu humidum radicale principatum obtineant, adeoque ea ipsa sub cœlorum qua kien portione ad Boream collocant, quod ibi aquæ Elementum multo frigore rigeat, unde etiam hiberno tempore crebriora renum indicia atque effectus se prodant. Ad dexteram pulmonum membrum tum ob siccitatem, tum quod adustum, nescio quid, sapiat, præterea, quod albicantis sit coloris, nec non magnis intestinis, *kin*, id est, Metalli Elementum do-

minari putant. Ambo occasui & portioni cœli *qua kien* subjiciunt. Et quia metalla per Autumnum perfici existimant, pulmones etiam & magna intestina eādem anni tempestate vim suam imprimis exercere & indicare dicunt.

Lienis membro ob teoris qualitatem saporem dulcem, colorem flavum *tu id est*, terræ nomen indiderunt. Pari ratione & stomachum qui lieni jungitur, terreum esse censem.

Ultraque in medio quatuor reliquorum Elementorum sub plagâ cœli (*qua ken* vocitant) sita esse, & exercere vires suas, tertio quoque (cujuslibet ex quatuor tempestatibus anni) mense asseverant.

Portam vitæ, & huic annexam tertiam partem corporis, ignis simul & aquæ subjiciunt Dominis, ideoque à cordis & renum membris qualitates recipere, receptasque diffundere arbitrantur.

Hâc ratione distributis nominibus Elementorum, & observato Elementarium qualitatum dominio, in singulis membris & intestinis corporis humani, quemadmodum in hoc mundo majori minus inter se pugnantia, seu symbola Elementa se invicem producere & intendere, dysymbola autem destruere & corrumpere, ac subinde alterationes & impressiones inter se mutuò efficere, observârunt. Simili modo membris & Intestinis, & quæ ab his ducuntur viis, aut easdem, aut non adeo dissimiles Elementorum Virtutes & propriam cuiusque efficaciam inesse collegerunt. Nam, ut in Mundo (*inquiunt*) sublunari ex aquâ certo quodam modo videmus produci plantas seu arbores, ex plantis ignem, ignis autem cinereum relinquit terram, terra verò metallorum est genitrix: Porrò metalla iterum producunt seu exprimunt aquam, aqua rursus arborem, & sic deinceps in orbem: Ita prorsus eundem in corpore hominis (quem merito sapientes *μηροκόσμον* dixerunt) orbem effici passim docent.

Siquidem

Siquidem renum aqueum membrum communicat qualitates aquae hepatis, seu arboreo membro, quas suas postea efficit, sive in naturam quodammodo suam convertit: Hepar arboreum igneo cordi suas itidem qualitates: Cor igneum & similiter portae vitae, lieni & stomacho naturâ terreis igneas, lien & stomachus suas terreas pulmonibus, qui metallicæ sunt naturæ, pulmones metallicas qualitates communicant renibus aquaeis, ab his rursum ad hepar arboreum rerum submituntur qualitates &c.

Contrà verò, sicut aquæ Elementum igneum vel immiscent, vel prorsus extinguit: Sic frigidæ qualitates renum cordis calorem vel minuunt, alterant, vel planè suffocant. Hepatis quod diximus subtile temperamentum pulmonum metallicâ virtute laeditur; Et uti terra aquam inficit & suffocat, eodem modo lien terreis qualitatibus oppletus, aqueum renum temperamentum obruit, aut etiam destruit.

Quocirca si perspectum habuerimus, quomodo Elementa vel qualitates Elementares in membris ac intestinis reconditæ se esse invicem afficiant, alterent, restaurent, augeant, immutent, destruant, corrumpant, facile perveniemus in notitiam status, ac dispositiones naturales, imò & præternaturales viarum duodecim, ac totidem suarum originum, membrorum, inquam, & intestinorum: atque adeò mille genera morborum, mortem quoque ipsam multò antè, quam accidunt, cognoscemus.

Sed quoniam per vias duodecim sex membra & sex intestina, docuimus posse cognosci, vias verò ipsas duodecim per qualitates Elementares sibi congenitas, sui ipsarum, suarumq; originem, seu sex vitae fontium temperamenta manifestare, operæ pretium fuerit explicare, quomodo Elementarium qualitatum in membris ac intestinis, viarumque status naturalis aut contranaturalis explorari possit.

## CAPUT QUINTUM.

*Per quid in corpore humano viarum duodecim qualitates Elementares, ac illarum habitus, affectionesq; naturales aut præternaturales certò possint deprehendi,*

**V**Itam humanam constare ex humido radicali & calore primigenio, non apud Sinenses modò, sed Europæos quoque receptum est. Sinenses prius in sex membris, posterius in sex intestinis recondi, atque ab iis in reliquum corpus per duodecim vias dispergi volunt. Membrorum verò & intestinorum temperamenta & dispositiones non nisi per easdem duodecim vias, per quas humidum radicale & calor primigenius deferuntur in totum corpus, indagari posse contendunt. Vias verò & earum capita seu initia per Elementares qualitates, at verò qualitates has ipsas solummodo ex pulsibus certò posse cognosci sequenti deducunt ratione,

Pulsus causatus in venis est à motu: Motus autem, qui existit in yenis, est à spirituum & sanguinis fluxu decursuque: Spirituum denique & sanguinis (quorum quidem sanguis est humili radicalis, spiritus verò sunt caloris primi vehicula) fluxus & refluxus per duodecim vias à duodecim originibus sex videlicet membris & sex intestinis rigant totum corpus, singulasque ejusdem partes commovent.

Verùm si id omne, quod movet, etiam impellat necesse est, id verò quod movetur, aut cedere debet aut resistere, sequitur omnino ex motu ab hujusmodi moventibus & motis producto pulsus resultare: Itaque cùm Spiritus & sanguis recurrentes moveant partes corporis atque impellant, adeoq; haec moveantur, non potest ab his non aliquis pulsus existere.

Pulsuum

Pulsuum proinde scientia necessaria est, quorum si naturam & differentias optimè perspectas habuerimus, congenitas duodecim viis Elementares qualitates & illarum affectiones in sanguinis & spirituum impressas motu, & consequenter ea ipsa ( à quibus proficiuntur duodecim origines ) membra, inquam, & intestina deprehendemus, ac illorum omnium statum & temperamenta, deinde etiam deprehenso qualitatum Elementarium diverso vel excessu vel defectu ( qui sunt utique diversitatis pulsuum causa ) alium atque alium viarum & corporis totius statum cognoscemus. Ex pulsibus autem connaturalibus statum quoque naturalem qualitatum Elementarium & sanguinis, qui vehit humidum radicale, & spirituum, qui calorem primigenium, viarumque duodecim & originum ac corporis totius humani vitam ac sanitatem conjicere, & ut cum Sinis loquamur, ex differentibus pulsibus differentes excessus & defectus in sanguine & spiritibus assequi, atque adeo membrorum varia & innumera genera & mortem ipsam imminentem prævidere poterimus.

Veruntamen vitam ( inquiunt ) conservare, valetudini consulere, morbis mederi poterit solus ille, qui pulsus connaturales in corpore humano conservare & corroborare, vel præternaturales & immutatos ad pristinum statum revocare, & restaurare per apposita medicamenta noverit. Ex pulsibus enim debito & naturali statui restitutis intelligunt statum, vias quoque duodecim rediisse ad primævum statum ; & per illas item in spiritibus & sanguine congenitas qualitates elementares ritè temperatas devehiri vitam, quam duodecim jam sæpius memoratae origines in corpus diffundunt.

Pulsuum itaque scientia imprimis est necessaria. Sed cùm illi sint motus, aut certè efficiantur à motu in venis, motus autem & mobile tam locum quam tempus supponat, hic verò solum declaratum sit, quomodo ex sex membris & sex intestinis Elementares qualitates in totum corpus devehantur, & illius partes fin-

tes singulas moveant, quærendum de loco & tempore, in quibus motus, & à motu pulsus fiunt, hoc est, ad quæ loca corporis sint pulsus explorandi, & quæ mensuræ temporis metiendo, ut inde pulsum distincta certaque notitia accipiatur, atque ex hâc scientiâ constitutionis sanguinis & spirituum, elementarium qualitatum, duodecim viarum, & originum totidem, seu sex vitæ fontium, membrorum, inquam, & intestinorum, ac denique humidi radicalis ac caloris primigenii & quæ ex his duobus existunt, morborum ac sanitatis, mortis ac vitæ.

### CAPUT SEXTUM.

*Quænam sint in humano corpore loca pulsuum magis idonea ad explorandas viarum duodecim qualitates Elementares.*

**P**ulsuum in corpore humano loca descripta sicut in libris Medicis Sinenium reperi, cum fide subjicio unâ cum ipso textu ad verbum & commentario ejusdem.

Textus: Omnim cavitatum in quibus pulsus periuntur loca.

1. *Feu pe*, id est, natans albedo (sic dicta pulsuum loca) sunt post aures, ingrediuntur locum, ubi terminant capilli, ad unam digitii mensuram.

Commentarius: Carmen ait de pulsu remisso, post cerebrum in ipso flexu cervicis ad tertiam colli vertebram, ibi dicta pulsuum loca reperies.

2. Textus: *San ciao*, id est, tres partes humani corporis, sic vocantur pulsuum loca.

Terminus supremæ partis corporis est à vertice capitis ad os supremum stomachi: Mediæ partis terminus à supremo stomachi ore ad ventriculi os inferius; Tertiæ seu infimæ partis terminus à stomachi inferiori ore unâ infra umbilicum digitali mensurâ ad plantas usque pedum pertingit.

3. Textus:

3. Textus: *ki muen*: id est, extremorum porta, duo sic dicuntur loca: In foeminis, ubi papillarum pendularum extremitas correspondet ossi interiori: In masculis autem & iis, qui minores mamillas habent, unico dito pulsus explorari potest: Siquidem pinguis sit homo, duabus infra mamillas digitalibus mensuris; Si verò macilentior fuerit, unicâ & dimidiata digitu mensurâ deprehenditur.

4. Text: *ki hai*: id est, spirituum mare sic dictus pulsuum locus. Esta autem unâ & dimidiâ infra umbilicum digitu mensurâ.

Comment: Spirituum mare dicitur, quia in Masculis seminalium spirituum ibidem est concursus seu mare.

5. Text: *tan tien*: id est, rubeus ager, sic dictus locus, distat ab umbilico trium digitalium mensurarum intervallo prope locum, *quan yuen*, id est, limitum origo.

6. Text: *quan yuen*: id est, limitum origo; Ita dictus pulsuum locus, qui est infra umbilicum tribus digitu articulis & aliquanto magis.

Comment: Locus hic est venarum, quæ à parvis intestinis & viâ pedum diminuti humidi radicalis & caloris primigenii porta, corporis humani radix & fundamentum; denique spirituum seminalium aggregatio.

7. Text: *Giu im*: id est, hominis obviatio. Ita dictus locus pulsuum, & existit in sinistrâ manu ante limitem, (qui medius est pulsus) mensuræ digitalis, (quam in decem partes dividunt) parte unicâ.

Comment: Hepatis & folliculi fellis est sedes. Hujus loci pulsus si iidem forte reperiuntur in loco renum signum est, hepar & fælædi à frigore. Similiter hic locus & sequens dictus *ki keu*: id est, Spirituum os: subjiciuntur ambo magni humili radicalis pulmonum viæ.

Imperator ait: *Giu im* (loci nomen est) pulsus itidem indicat stomachi. Hujus sedes est in sinistrâ manu antelimi-

*Dec. II. Annus IV.*

E \*

tem,

tem, mensuræ digitalis parte unicâ; Itidem in utraque parte gutturis dextrorum & sinistrorum, reperitur *gin im* cavitas. Sedes *gin im* subjecta est pulmonum magni humidi radicalis viæ. *Giu im* cavitas subest stomachi seu pedum caloris pr. puri. & lucidi viæ, ideo dicitur *giu im* denotare quoque stomachi pulsum.

8. Textus: *ki keu*: id est, Spirituum os. Locus sic dictus est in manu dextrâ ante limitem seu medium pulsum, digitalis mensuræ parte unicâ.

Comment: Lienis & stomachi sedes est; Si pulsus intensi sunt ac pleni, membra illa ex cibis læsa esse ostenditur. Imperator quare, inquit, Spirituum os solum habet dominium in quinque membra corporis humani? Kipeús respondet: Stomachus liquidorum & solidorum alimentorum est mare, & sex intestinorum magna origo. Quinque sapores alimentorum, quæ per os recipiuntur, in stomacho duntaxat reconduntur, ut alant quinque Spiritus. Spirituum os manifestat viam magni humidi radicalis, seu etiam lienem. Quinque membrorum & sex intestinorum Spiritus & sapores oriuntur à stomacho, & alterantur, & alterati apparent in hoc pulsuum loco *ki keu* dicto.

*Giu, im* & *ki keu* in collo utrinque percipiuntur, videnturque cœli & terræ mutuam inter se conspirationem vel unionem imitari: Denique sunt pulsuum aut incipientium aut terminantium portæ.

9. Textus, *tai chum*: id est, magna penetratio. Duo sic dicta pulsuum loca in duobus pedibus post pollicis averticulum, intervallo duarum mensurarum digitalium, in ipso plantæ pedis medio; Pulsus qui ibi incidunt ipsi sunt.

Comment: Aliqui volunt, spatium illud habere duntaxat intervallum unius mensuræ digitalis mensuram & mediæ.

Ex hoc pulsu cognoscitur via, quæ defœtuosum humili dum ra-

dum radicale ab hepatis membro dicit ad pedes, & ubi horum locorum pulsum exploras, conjicere certò potes, hominem, si quidem pulsus perseverat, omnino vivere; Si verò cessat, proximè abesse à morte, idcirkò dicuntur ista loca vitæ & mortis januæ.

10. Textus: *tai ki*: id est, magna lacuna. Sic dicuntur bina loca pulsuum; Reperiuntur ad latus pedum supra os calcanei.

Comment: Diminuti humidi radicalis à renibus ad pedes ostendunt viam; Mares quidem in pede sinistro, Fœminæ verò in dextro dicta loca pulsuum habent. Et quia sicut renum, ita etiam vitæ portæ idem est pulsus, ideo mortis ac vitæ hinc dantur indicia. Æger proinde, si pulsus in illo loco proratione sui morbi habeat, vivere adhuc cognoscitur; Verum si penitus illo pulsū careat, mortuum esse indicat: Ideo pulsus hi appellantur portæ vitæ.

11. *Chum Yam*: id est, caloris primigenii viæ, se mutuò penetrantes; Dicuntur etiam *hoc yuuen*, id est, coacervationum fontes, suntque in pedum superficie quinque mensuram digitalium intervallo inter ossa, ubi pulsus pericipitur, sursum versus procedendo, non in ipso quidem flexu seu cavo sinu, sed tribus ab hoc digitis mensuris.

Comment: Caloris prim. puri seu stomachi via est. Homo spiritus accipit ab Alimentis, alimenta demittuntur in stomachum, stomachus ad quinque membra & intestina vapores seu spiritus diffundit, iij autem, qui puriores sunt, in sanguinem resolvuntur, nam spiritus (humidi) grossiores digeri necesse est. Proinde purius, quod dicitur *ym*, intra venas insinuat sese, fitque sanguis; Quod verò extra venas fertur, dicitur *quêy*, suntque calidi spiritus, qui extra & intra venas hunc atque illuc meant. Per sanguinem & spiritus humidum radicale & calor prim. veluti per sua vehicula ad omnes corporis partes & intimos quosque recessus in orbem ad in-

star circuli circumferuntur , penetrantque se mutuò , ac penitus miscentur.

Cùm autem stomachus sit liquidorum & solidorum alimentorum mare , & consequenter omnibus spiritibus material suppediter , dominatur per diversas suas qualitates & recens exortas affectiones , quatuor anni temporibus , adeoque spirituum pulsus iisdem temporibus percipi debent .

Atque isti spiritus stomachi fundamentum sunt , ac semen aliorum omnium , quia non solum morbos , quatuor anni temporibus grassari solitos alterant , sed etiam vitæ ac mortis præcipua sunt causæ : quare cujuslibet ægroti convenit etiam locorum *Chum Yam* explorare duos pulsus , & exquirere diligenter , an stomachi spiritus contineant nec ne , atque inde de vitâ ac morte statuere .

12. Text : *Fum fu* : Id est , ventorum civitas , & alio nomine *Xe<sup>v</sup> puèn* dicitur , id est , linguæ radix . Est in occipitis parte infimâ , ubi capilli terminant , à quibus intervallo unus mensuræ digitalis sursum tentando pulsus percipitur .

Comment : Magnorum nervorum caro declinans in illa loca malignæ febris tempore , relatòs pulsus solet efficere , & ab hoc loco capitis jam memorato pullulare .

*Hujus præditorum paradigmatis Sinici figuram  
vide in Tab. Appendix primâ , n. 1.*

**M**Odò operæ pretium erit inquirere , sintne ex his , quas retulimus cavitatibus aliquæ , quæ 12. originum vias 12. & congenitas iisdem qualitates elementares queant indicare .

Etenim primus locus ex supra numeratis & pulsus post aures in illo repertus solum manuum diminuti caloris primæ viam indicat , sive tertiac corporis partis viam .

Loca dicta tres partes corporis numerant illi quidem , sed non declarant earundem pulsus .

Tertius

Tertius locus manuum puri caloris se intestinorum magnorum viam prodit.

Quartus & quintus locus nullam viam denotare videntur.

Sextus locus *quān yuēn* seu limitis origo per viam pedum diminuti humidi radicalis ad renes originem dicit.

Septimus locus sinistræ manus hepar & fel indicat.

Octavus locus, manus dextræ, lienis & stomachi viam indicat.

Nonus locus pedum defectuosi humidi rad. seu hepatis viam indicat.

Decimus locus pedum diminuti humidi rad. seu renum viam designat.

Undecimus, caloris primig. puri, id est, stomachi viam prodit.

Locus denique *fūm fū* ad statum pulmonum aliquantum cognoscendum conducit.

Sed quoniam ex hâc inductione patet, ex enumeratis pulsuum locis, si nihil præterea afferatur, non omnes vias viarumque origines aperiri ; rursum necesse erit investigare alia pulsuum loca, ut his cognitis duodecim viarum elementares qualitates, duodecim iterum origines, sex inquam membra, & sex intestina, & singulorum status atque affectiones reguliter ac certè deprehendi queant.

### CAPUT SEPTIMUM.

*An præter dicta pulsuum loca, alia in tribus corporis partibus reperiantur, idonea ad explorandas duodecim vias & harum qualitates?*

**C**um ex tribus partibus totum corpus humanum Sinenses constituant, ( ex capite præcedenti & secundo item per transennam vidimus ) iterum singulas corporis partes hoc modo explicant.

Textus : Tres corporis partes omnium liquidorum & solidorum regia sunt via , sunt item spirituum principia ac fines.

Kipeús ait : Tres partes corporis passionum in homine & temperamentorum sunt origo. Spiritus nascuntur ex vaporum , quos stomachus congregat , materiâ ; Vapores vero prodeunt ex aqueâ qualitate , quæ residet in cavitatibus , in quibus etiam fines ac principia desumunt.

Textus : Xám cião , id est , suprema seu prima pars corporis infra cor & pectus , constituitur supra orificium stomachi , dominatur interioribus & non iis , quæ egeruntur. Ejus præcipua sedes est pectoris meditullium infra locum yo tám , id est , gemmarum aulam , dictum , unius digitalis mensuræ & sex partium intervallo. Planè autem , ubi papillæ interiùs incidunt , pars dicta corporis terminatur.

Chúm cião : id est , media seu secunda pars corporis , secundum habet in eâ cavitate stomachi , quæ nec suprema est nec infima , dominatur carnibus & alimentis. Ad latus umbilici utrinque statuitur.

Hia ciao : id est , infima seu tertia pars corporis ; Est ab umbilico descendendo ad ureterum supremum orificium. Dominatur loco , ubi purum à fæculento secernitur , uti etiam in ea , quæ egeruntur. Sedes illius est infra umbilicum unicâ digitâ mensurâ : Habet etiam aulam , quæ est spirituum radix & vita. Et cum spiritus calidi motu suo permisceant sese , omnibus & interiùs atque exteriùs adhærescant , motus ille vocatur insinuatio spirituum.

Comment: Supremæ partis corporis sedes est in pectoris meditullio , quod ex textu patet. Mediæ partis sedes est in umbilici latere. Umbilicus duo habet latera , quodlibet vero latus unius mensuræ digitalis habet locum , ubi extremum ventris pubes operit , ad intervallum duarum mensurârum digitalium. In eo loco humidi radicalis & caloris prim: pulsus exi-

sus existit, nec non à pedibus lucidi & puri caloris prim: seu  
stomachi via.

Stomachus quos accipit cibos digerit excoquitque, &  
in vapores primū, deinde in spiritus convertit, qui orsi à  
tertiā parte corporis deferuntur ad vias duodecim, & ad se-  
mitas seu calles angustiores, tendunt etiam sursum & deorsum,  
seu hi spiritus quasi impetu acti sui caloris cavitates liquido-  
rum aliosque vegetant, & sanguinem permeant commo-  
ventque. Hujus autem motus, quem Spiritus efficiunt, est ab  
infimæ seu tertiae partis loco. Et quamvis originales spiritus  
accipiant aliunde materiam, ex quā immediate procreantur ;  
quia tamen ipsa illa materia sine spiritibus stomachi esse non  
potest, ideo illorum radix dicitur & fundamentum. Notan-  
dum verò diligenter, spirituum aulam & viam esse in tertia  
parte corporis, ubi spirituum motus incipit, ac per illum mo-  
tum omnes originales spiritus permeant ; Unde fit, ut dica-  
tur duodecim quoque viarum radix, & omnium quoque (qua  
aliis spiritibus insident) viarum atrium ac domicilium.

Vide paradigmā capitīs p̄cedentīs.

Quemadmodum igitur in hoc universo tria constituunt  
longè præcipua *Sān cāi* dicta, seu tres excellentias substan-  
tiales longè præcipuas : Suprà videlicet coelum, infra terram,  
in medio autem ipsum hominem, qui coeli terræque sit par-  
ticeps : Ita corpus ipsum hominis in tres partes & quasi regio-  
nes dividunt: Supremam, quæ pertingat à capite usque ad ori-  
ficiū ventriculi, & contineat pulmonem & pectus, seu quid-  
quid est supra diaphragma, cor item & pericardium, seu, uti  
vocant, involucrum cordis : Medium verò, quæ pertingit  
ad umbilicum, complectatur diaphragma, stomachum seu  
ventriculum, & quicquid eum ambit, lienem, item hepar &  
fel : Infimam denique, quæ propè ab umbilico ad pedes usque  
decurrit, includitque renes, vesicam, ureteres, intestina & gra-  
cialia. Aliter etiam dictas tres regiones sed per Metaphoram  
explicant.

explicant, sic, ut in supremâ constituant velut varias quasdam nebulas, in mediâ pluviam, in imâ lacum & stagna, quæ ex di-ctâ pluviâ confluxerint.

Porrò tribus hujuscemodi regionibus humani corporis eodem prorsus ordine ternos manūs utriusque pulsus respon-dere contendunt; Atque ita primo & supremo pulsui (quem etiam cœli nomine significant, quod supremæ corporis regio-ni respondeat) dominari calorem primigenium, qui adeo pul-sus naturâ suâ sit exundans, supernatans, magnus; Tertio seu infimo pulsui (quem terræ nomine, significant, quod infi-mæ corporis regioni respondeat) dominari humidum rad-icale, eâque de causâ profundum esse, & comparatione qui-dem pulsus medii ac supremi esse radicis instar, quæ cum trun-co, ramisque & foliis arboris comparetur. Infimum hunc pulsum robustiorem volunt esse in fæminis, propterea, quod in eis prædominetur humidum radicale & sanguis, supremum verò pulsum seu primæ regionis in eodem sexu debiliorem es-se, contrarium verò Maribus accidere. Jam verò pulsus me-dius (quem hominis nomine significant, qui medius cùm sit cœlum inter & terram, mediæ item corporis regioni respon-det) neque exundans est, neque profundus, sed remissus, in-quidunt, id est, temperatus, ac verè medius, ut qui pari cum portione fiat particeps tam caloris, qui versus primum locum effert sese, quam humidi radicalis, quod suopte quasi pondere ad terram infimumque locum descendit: Item limes dicitur, ut qui duo, quæ diximus, extrema limitet medius, non secus ac truncus arboris radicem ejusdem & ramos.

Nec observant tantum pulsuum ordinem jam dictum, sed horum singulos tripliciter item explorant, atque ita ad cujus-que superficiem applicant primò digitum, sic ut cutem leviter stringant duntaxat; Ad medium verò dum exploraturi pro-cedunt, arteriam digitis utcunque deprimunt. Infimam de-nique ejusdem pulsus regionem & quasi fundum seu radicem explo-

exploraturi ad nervos ipsos & ossa validiore contactu pertingunt, atque hoc modo conjiciunt, an idem pulsus ubique sibi constet, & consequenter, an morbus tantummodo superficialis sit, aut ab extrinseco adveniens, an contrà, occupatis jam interioribus, radicem fixerit. Unde si fundum aut radicem exploraturi pulsum abesse comperiunt, fidenter pronunciant, actum esse de vitâ, quia (inquiunt) pulsus caret radice. Et quoniam denique membrorum alia collocata sunt ad sinistram partem humani corporis, ad dextram partem alia; Idcirco etiam docent, hæc quidem membra pertinere ad ternos pulsus manus dextræ, illa verò ad pulsus sinistram.

Tab. III. Append. n. I.

Porrò pulsus istarum novem partium, quas continent scilicet tres magnæ regiones corporis, quomodo reperiantur, & quomodo ex pulsibus constitutio & qualitates cognosci debant, infrà explicabimus, adjecto etiam schemate à Sinensis Medicis descripto. Nunc brevibus:

Collige 1. Quæcumque pulsuum loca invenientur in corpore humano ad cognoscendam sanitatem aut morbos, vitam aut mortem, necesse est iis earum trium regionum corporis temperamenta & congenitam constitutionem & advenientes seu subinde irrepentes indicari.

Collige 2. Quod cujuslibet magnæ regionis ternis partibus sit pulsus supernatans (qui est à calore primig.) medius & profundus (qui est in humido radicali) sive (quod idem est) novem partium singulæ suos omnino habent pulsus.

Collige 3. Indiciorum seu signorum exteriorum novem illis partibus annexorum habitus & affectiones ex pulsibus illis debere manifestari in ternis partibus pulsuum seu supernatantem &c. ut suprà dictum est.

Collige 4. Cùm iam & in calor primig. & humidum rad. in novem memoratas insinuent sece partes, necesse est,

Dec. II. Annus IV.

F\* ex simi-

ex similibus partibus pulsuum aliarum partium constitutionem dignoscere , & in omnium partium pulsu singularum constitutionem relucere . Ratio est , quia quælibet non solum suam ipsius constitutionem manifestat , sed etiam , quomodo se cum aliis pulsibus habeat , cum quibus sympathiam seu unionem quandam habet . Ratio ulterior est , quia viæ inter se certo quodam modo penetrantur ac permiscentur , ex eâ quæ est propria solum humido radic. ei , quæ soli calori primig. est destinata , & alteri , quæ de utroque æquam portionem accipit . Rursus hæc duabus præcedentibus & media utriusque viæ illi , quam primo loco attuli , & ultimæ , atque ita pulsus , qui v. gr. viæ cordis dicitur , non solum suam cordis viam , sed & hepatis & vesicæ , & pulmonum & stomachi vias , & quæ his annexa sunt , unâ cum singularum dispositionibus per indicem quasi secundarium manifestat : Et sic de reliquis discurre . Nam tres partes , cœlum , homo terra sic dictæ itidem se mutuò continent , pars enim cœlum vocata partibus cœlo terrâ & homine constat , & pars , quæ terra dicitur , iterum ex cœlo homine & terrâ est , & pars , quæ homo appellatur , iterum ex cœlo homine & terrâ consurgit . Similiter pars , quæ viam humidì radic. habet , illa eadem à viis , quæ partim humidum radic. partim calorem primig. æqualiter continent , & à viis , quæ tantum calorem primigenium habent , penetrantur , & pars quæ habet viam caloris primig. , illa eadem à viis , quæ solum humidum radic. , & ab aliis viis , quæ æqualiter humidum radic. & calorem primig. participant , permiscetur . Ad extreum pars , quæ viam partim humidum radic. partim calorem primig. æqualiter habentem continet , illa eadem à viâ , quæ calorem primig. tantum , & ab aliâ viâ , quæ humidum radic. tantum continet , informatur . Quare pulsus reperti debebunt non solum singulas vias 12. singuli singulas , sed singuli pulsus vias , & omnes pulsus singulas vias , simili quoque ratione originis , & quæ ex illis constituuntur , sex vitæ fontes in suâ

in suâ constitutione indicare. Sic, v. g. pulsus loci, qui viæ cordis dicitur, non solum suam cordis viam, verùm & hepatis, & vesicæ, & pulmonum, & stomachi, & quæ his connexa sunt, statum & dispositionem indicent necesse est; Pulsus deinde, qui loco viæ hepatis assignatur, non solum hepatis viæ constitutionem, sed etiam cordis & vesicæ, & stomachi, & pulmonum, & portæ vitæ indicat. Et sic de reliquis discurre. Horum verò omnium hæc est causa, quod vita & sanitas sit quid totum integrum, unde non magis de vitâ una pars corporis, licet diversimode, aut unum membrum participat, quam singula reliqua, eò quod ad singularium partium corporis vitam ac sanitatem omnia membra & intestina, sex, inquam, vitæ fontes concurrant, & per vias duodecim in sanguine & Spiritibus humidum radic. & calorem primig. devehentibus se ipsa communicent.

Cum igitur vita sit bonum integrum, non potest esse vita, nisi ex causis integris, & quia malum ex singulis defectibus, hinc ex minimo defectu unius membra vel partis alterari vitam ac sanitatem labefactari facile est, adeoque lædi etiam omnia & singula membra & intestina, à quibus est vita. Quomodo autem in uno pulsū, qui unius membra viam indicat, aliæ quoque viæ, seu, quomodo in uno pulsū unius partis corporis aliæ partes corporis se manifestent & discernantur, infra docebimus.

Colligitur interim viarum duodecim pulsus potissimum in manibus manifestari, in quibus adeò videtur absolutè coacervatio esse & quasi concursus pulsuum. Nam mediæ regionis corporis suprema minor pars in dextrâ manu per pulsum magni humidi radic. viam seu pulmones denotat, & mediæ regionis minor media pars in sinistrâ per viam diminuti humili radic; hepar manifestat; Ideò vocatur absolutè coacervationem potissimum esse in manibus. Et licet in pedibus reperiri modò docuerimus membrorum & intestinorum vias,

attamen, quia ibi nec omnium nec principalium viarum pulsus sedem habent, potiusque in manibus investigandæ sunt illæ, quam in pedibus. Hoc autem consequemur, si modò observaverimus, ubinam sint coacervationes sive concursus in corpore humano, ossium, medullarum, nervorum, membrorum & intestinorum, spirituum, & denique venarum pulsuumque; Nam si hic pulsuum ultimus concursus in manibus reperiatur, manum sanè loca adduodecim vias explorandas idonea esse, determinare oportebit.

### CAPUT OCTAVUM.

*Quæritur, ubi reperiantur potissimum scaturigines rerum, ex quibus constat corpus humanum, Et an in his singulis possint pulsus haberi, ad deprehendendum 12. vias, an vero solum in concurso venarum pulsus existant ejusmodi, Et an alibi quam in manibus existant?*

**C**orpus humanum constare ossibus, medullis, nervis, carne, pelle, sanguine, pulsibus, spiritibus, membris demum ac intestinis, certum est; quare ossium, medullarum, nervorum &c. necesse est scire loca, ac horum cognata reperire. Primum quidem per Sinenses renes ponuntur loco primo, deinde cor, postea hepar, tunc pulmones, mox lien, exercere vero dicunt suos actus sexto loco renes. Porro, uti primo loco nascuntur renes, ita omnium primò exercere incipiunt actus suos, deinde cor, tertio loco hepar, postea pulmones, ad extremum lien. Hæc vero membra, uti etiam, quæ membris adnascuntur, intestina, videlicet ureteres, parva intestina, folliculus fellis, magna intestina & stomachus, ac reliqua habent suas congeries & loca illa, prout in tabula III. infra positâ videre est.

Sic igi-

Sic igitur in loco dicto, *tū cāū* (quod significat magnum reconditorum) intestinorum est scaturigo.

Loco dicto *kī, hū*, quod significat quatuor anni temporum constantem qualitatum unionem, membrorum sex scaturigo est. Porro, cum cor non solum sit causa faciei, humerorum, sed palmarum, manus, item linguæ atque sanguinis, congeries sanguinis est in loco *kē yū* quod significat dia phragmatis locum.

Pulmones etiam, quia non solum sunt narium, labiorum, pellis, capillorum, acungium causa, sed etiam Spirituum, congeries ipsorum Spirituum est in loco *fān ciāo*, id est, trium partium corporis.

Jam hepar, quia non solum est oculorum, sed etiam nervorum origo, ideo nervorum scaturigo est in loco *jām līm ciāen*, quod significat caloris latebram & fontem.

Renes non solum sunt dentium, aurium, sed etiam ossium causa. Scaturigo ossium est in loco *ta īn*, quod significat magnam elevationem. Idem renes sunt causa etiam medullarum in ossibus. Locus, in quo est scaturigo medullarum, vocatur *ciūe kō* quod significat interruptionem ossium.

Restat venarum & pulsuum congeries & scaturigo, quam nullibi esse Sinenses ajunt, nisi in ipsis manibus, vocant locum *tā quēn*, quod significat magnæ profunditatis abyssum, & cum de causâ principali venarum & scaturiginis earum nullum membrum, nullum intestinum singulare scaturiginis causam esse docent, intelligi volunt, omnia ac singula membra ac intestina concurrere, & esse causam quadantenus singularum venarum scaturiginis.

Cum enim non paucæ viæ ad dictum locum scaturiginis venarum à suis originibus (quæ sunt membra & intestina) manantes confluant, & sanguis & spiritus recurrentes per venas sibi que congenitas qualitates Elementares, & per has consti

tutionem tām viarum quām sex vitā fontium explicit, motu suo pulsū efficiant, pulsū sanē locus nusquam aptior inveniri aut deligi potuit ac debuit, quām in venarū concursu, nam ibidem quoque est pulsū concursus.

Quocirca, cūm hic locus sit in manib⁹, manuum loci idonei videntur esse pulsū, ad investigandas duodecim vias, & congenitas his Elementares qualitates, origines quoque, à quibus profluunt membra ac intestina. Vide tab. III. n. II. III.

### CAPUT NONUM.

*Cur in manu sinistrā, in quā scaturigo venarum inventa est, pulsus sint explorandi? Item: An sola manus sinistra sufficiat? An venarum etiam pulsus sint explorandi in dextrā?*

**N**on solum in sinistrā manu, sed etiam in dextrā pulsus inveniri, experientiā constat. Sinenses, (uti suprà ostendimus) cūm rerum, ex quibus corpus constat, quærerent scaturigines, in manibus venarum scaturiginem esse dixerunt, eandemque etiam scaturiginem pulsū esse statuerunt.

Cæterū in dextrā manu locum *kí keù*, os spirituum dicunt, pulsus habere etiam ajunt. Cūm enim hic pulsus à spirituum decurrentium motu potissimum fiat, in dextrā quoque manu pulsū coacervationem esse, sibi persuaserunt, ac proinde utriusque manus loca pulsū nobilissima & eorum concursus apparere omnino asseverant, & horum sufficientem esse causam, cur non solum in sinistrā, sed etiam in dextrā, pulsus sint explorandi, quia nimis in sinistrā manu venarum est scaturigo, in venis verò motus à sanguine & Spiritibus procedentes pulsū causantur.

Porrò

Porrò, in dexteræ manus loco *ki keu* dicto, quòd pulsuum congeries etiam reperitur, vel ex eo probant, quòd ibi sit maxima vis & copia Spirituum, à quibus utique extra & intra venas in sanguine decurrentibus motum effici necesse est, & ab hoc motu pulsum; Proinde utramque manum ad pulsus explorandos magno usui esse dicunt, siquidem hæc & illa manus causam adæquatam pulsuum habet. Sinistra quidem sanguinem decurrentem in venis, in quibus reconditur scilicet, & nunquam in vivo corpore sine spiritibus est: Dextra verò copiam spirituum, qui, quia cum sanguine decurrunt, sine sanguine esse non possunt, ideoque, cùm sanguis & spiritus causa sint motus, & motus pulsuum, qui tam in dextrâ quam in sinistrâ reperiuntur, pulsus explorari posse ac debere in utriusque manus loco asseverant.

Adde, membra hominis & intestina alia esse sinistra, alia dextra, viæ proinde ab illis decurrentes aliae sunt ad dexteram, aliae ad sinistram, ut suprà retulimus. Ut igitur status illarum & congenitarum illis elementarium qualitatum percipi possit, sequi oportere, tām in sinistrâ pro membris ac intestinis sinistris, quam in dextra pro dextris explorandos pulsus.

Ad extremum, quòd in manibus pulsus sit exquirendus, ratio potissima est, quia omnis illa circumvolutio sanguinis ac Spirituum (qui humidum radicale & calorem primig:, unde vita resultat, devehunt) in manibus potissimum terminantur, complenturque, & ab illis iterum fluxum suum circularem ordiuntur. Cùm igitur vitæ principium primò, ac vitæ finis ultimò se prodat in manibus, non alibi pulsus explorandos esse, certò concludunt. Esto se prodant etiam in pedibus.

Sed quomodo in corpore humano circuitus viarum duodecim, & in illis revolutio sanguinis & spirituum, humidum radicale & calorem primig: devehentium, ad manus terminetur, & ab his ipsis incipiat, & sic circuitus ex pulsibus manuum à Sinensibus sit deprehensus, & à quolibet deprehendi possit, necesse est explicare.

Figura

Figura & motus circularis non aliâ in re clariûs appetet, quâm in cœlorum orbibus, quorum circumvolutio, quod ab hominibus usu ipso & diuturnâ observatione compertum fuerit, æternus esse creditus est. An verò ab æterno existere potuerit cum generatione vel rebus generatis, in Scholis disputatur, & à plerisque Thomistis affirmatur. Orbem cœlorum spatio viginti quatuor horarum revolvi, & singulis annis circuitum non solum Solis, sed reliquorum etiam Planetarum observare, hujusmodi æternum à DEO posse creari, non nulli asserunt. Ethnici verò nonnulli, Duce Aristotele, de facto fuisse ab æterno, contendunt. Perpetuum motum doctissimi quique Philosophorum ac Mathematicorum hâc nostrâ & superiori ætate alii inventum esse, alii verò inveniri posse, alii & hoc & illud, ac meritò sanè negant.

Cæterùm si dari potest perpetuus motus, profectò dicendum est, hunc in orbibus cœlestibus imprimis, tûm verò in vitâ corporum humanorum, & ex artificialibus rebus in horologiis aut instrumentis, quæ motum illorum habeant ut in variis subjectis, dari posse. Neque enim facilior & aptior alia figura pro æterno motu fingi potest, quâm circularis, & verò describit, hunc præsens cœlorum motus, vita etiam humana, nec non sua horologia rotata artis miræ opus & mirabiles effectus solertiae humanæ imitantur.

Summæ artis fuit, quandam Pictorem sine errore circulum absque centro descripsisse perfectissimum. Summæ artis & illud, alium itidem Pictorem circuli centrum abolitum uno iictu ostendisse; Quin & eò processum humanâ industriâ, ut horologia fabricata sint, quæ sub formis canum, Leonum, hominum Personarum ad horas aliquot deambularent ac circumirent: Ut organa, quæ nullo pulsante sponte personarent ad numeros, feliciter arte effinxerint.

Apparuit nuper in Poloniâ horologium, quod non solum Lunæ defectus & Planetarum oppositiones, conjunctiones, quadra-

quadratos, sextiles, & trinos aspectus (quale est in Pragensi & alibi) reliquosque motus menstruos, item & annuos manifestare potuerit; Sed quod maximè mirabamur fuit, quod unicà rotarum circumactione astrorum, sex mensium, tam horarum quam dierum singulorum, nec non etiam lunaris cursus circuitum pulcherrimè describebat. Vivere dices ad medium annum. Sed anne fieri posset aliud, quod integro anno similem motum exhibeat, omnino posse existimo; Imo alium fortasse labentibus annis fore, qui ad duos & plures annos ejusmodi instrumentum circularium motuum in lucem producat, non absurdum fuerit credere. Potuit igitur solers hominum indagatio exteriorum & circularium conferre instrumentis vitâ parentibus, idque per adeo longum tempus, ut etiam medii anni. Verum enim verò Sapientissimus rerum omnium Artifex Deus cœlorum orbibus vastissimis per adeo vastum spatium à tot annorum millibus circularem motum impressit, quia imò viventia etiam quasi horologia in hoc sublunari constituit, quibus alias atque alias statas periodos annorum & ætates præscripsit, corpora, inquam, animantium, & imprimis ipsorum hominum, quæ sicut vitæ principia habere, ita & ejusdem vitæ cursum traducere, & finem denique hic obtainere voluit, sic tamen, ut eidem homini contulerit æternam vitam in paradyso per usum & esum admirabilis fructus, quem dabat, ligni vitæ, quo quidem fructu irreplete in corpus diuturnitate, ut sit, temporum vitia (quasi rubigo quædam vitalium rotarum) detegebantur. Neque contentus hâc planè divinâ liberalitate, eandem in cœlo longè perfectissimam ac bonis omnibus cumulatam vitam promiserit, si modò, quod est æquissimum, sui Creatoris sanctissimæ voluntati obsequeretur. Cùm igitur vitæ nostræ sit maximè consentaneus motus circularis (quod quippe quod maximè conferatur) motum circularem in viventibus, ac potissimum in homine, maximè regularem esse, credamus necesse est.

Dec. II. Annus IV.

G \*

Porro

Porrò Sinenses vitam humanam non solum motibus cœlorum mensurari, verum etiam iisdem esse quam simillimam, crebro inculcant. Et nos quidem Europæi annuos motus circulares vitæ nostræ numeramus. At verò Sinæ & annuos, & menstruos, & diurnos etiam motus circulares jam inde ab ipso propè diluvio in corpore humano detexerunt.

Sed quā tandem ratione hoc deprehenderint, nos securi illorum doctrinam, initium circularis motus diurni, qui vitæ nostræ inest, locum etiam, à quo incipit, & in quo desinit, modò ostendemus; Deinde verò menstruum circulum vitæ, ad extremum etiam annum, DÉO favente, explicare conabimur.

Supponunt Sinenses, circuli (quemcunque circino describas) centrum in plano & in superficie planæ aliquo puncto principium orbis facere, tum verò flexu suo obliquo perpetui orbis finem conjungere, sicque in diem, à quo cooperat, punctum coire, atque si motus cœptus & perfectus duret in illo ipso platio, iterum unde cœpit redire, & consequenter alios atque alios motus circulares efficere & prosequi. Eodem planè modo in corpore humano evenire, constanter ajunt. Vita, inquiunt, tum procul dubio principium accipit, cum fœtus animatur, sed aliorum longior, aliorum brevior vitæ periodus, eò, quod vitalis circulus vitæ longævæ ampliorem, brevis autem vitæ angustiorem circumferentiam nactus fuerit. Hoc vero circulo contineri alios circulos vitales, & his rursum alios insertos esse volunt, non aliter, quam orbis constat annuis, & lunaribus seu menstruis circulis & diurnis. Quod si vitæ circulus incepit, etiam locum habere debet, à quo incepit, & ad quem cursu suo defluit ac terminat, cursum suum denuo exorsurus, uti cœlorum orbes ab ortu cœpti circumaguntur, donec ab eodem ortu iterum incipient.

Sed quodnam est, inferimus, centrum in corpore humano hujus circuli vitalis? Ajunt Sinenses, esse medium regionem

gionem corporis humani. Circumferentia autem quæ? Caput inquit, & pedes & manus. Sed si in medio quasi puncto corporis humani pedem circuli defixeris, altero circumducto, perfectissimè circulum ad distantiam pedum, capitum & manuum describit. Quare cum vita in toto hoc spatio & ambitu ex ipso motu partium, quæ circumferentiam attingunt, existat, necessariò ex motu partium circumferentiam circumferalem attingit & describit. Ostensio proinde centro & peripheriâ circuli ostendendū est, quomodo per eundem à centro & circa centrum assignantur duodecim viæ, & per illas sanguis & spiritus, & in illis tanquam in propriis vehiculis humidum radicale, & calor primigenius, seu vita ex illis resultans feratur, seu quomodo tandem, iste fluxus vitæ à centro ad circumferentiam veniat, & ex quo loco motus in hac rotâ vitali initium ducat, & vitæ cursum consumat.

*Sed audiamus Sipenses ipsos.*

Textus: Homo recipit Spiritus à cibis, cibi recipiuntur in stomachum, & suas virtutes communicant quinque membris & sex intestinis: Omnia enim quæ sunt in corpore, recipiunt Spiritus, qui ex ciborum materiâ nascuntur; Nam id, quod est subtile, est quām, humidus, inquam sanguis purissimus, imbutus humido radicali, intra venas serpens; Id quod est grossum, & nec dum bene digestum, est quēi sive spirituum calidorum quasi congeries, calido primigenio imbutorum, intra & extra venas meantium, & sanguinem commoventium, quippe hæc duo quām & quēi totum corpus penetrant & circumdeunt rotæ instar aut circuli, qui sine interrupzione circummagit. Nota: quod spiritus calidi subjiciantur calori primigenio, & sanguis venarum humido radicali, quæ duo inter se permixta ac penetrata motum in corpore humano circularem spatio viginti quatuor horarum perficiunt. Nam quo temporis spatio 50. domus cœlorum circummaguntur ex Sinarum sententiâ, eodem ipso Spiritus & sanguis, qui

cursum suum exorsi sunt à pulmonum viâ, diei præteritæ tempore matutino (horâ tertiatâ & quartâ Europæâ, nam hora quælibet Sinica duas Europæas complectitur) per diem integrum & noctem integrum ad eandem horam matutinam fluunt refluuntque, & ibidem cursum integrum complent, planè in ipso illo loco, in quo reperta est maxima congeries Spirituum, quæ os Spirituum vocatur, & in quo apparent calor primigen. & humidum radic. invicem sibi unita, & unde hæc ipsa item in sanguine & Spiritibus incipiunt fluere & refluere, & perpetuos orbes agere, vitamque in illis deferre.

Textus: Duodecim viarum pulsus & quindecim Iō (sunt pulsus venarum ad latera duodecim viarum rivulorum instar manantes) venarum pulsus quo tandem in loco ducunt initium, & in quo finiunt? In duodecim viis pulsuum decurrent sanguis & Spiritus, penetrant ac penetrantur ab humido radicali & calore primigenio, ut virgent, foveant, servent ac vivere faciant totum corpus humanum: Illorum (sanguinis videlicet & spirituum) origo est in medio seu meditullio mediæ regionis corporis (quod supra centrum circuli vitalis esse dimicimus) inde verò communicati manuum magni humidi radicalis viæ ab illâ motum ordiuntur, & præcedunt ad manuum lucidi seu puri caloris primig. viam, ab hâc verò ad pedum caloris primig. puri & lucidi viam, & ab hâc ad pedum magni humidi radicalis viam, à quâ postea motum continuant ad manuum diminuti humidi radicalis viam, & ab illâ ad manuum magni caloris primigenii viam, deinde ab hâc ad pedum magni caloris viam, unde ad pedum diminuti humidi radicalis viam, à quâ eundem prosequitur motum ad manuum defectuosi humidi radic. viam, & ab illâ ad manuum diminuti caloris viam; Ad extreum ab hâc ad pedum defectuosi humidi radic. viam, ubi videlicet vitalis illa rota sanguinis & spirituum & circulus finem accipit, ac rursum volvendo redit à loco viæ manuum magni humidi radic. & sic deinceps, cursu quem memoravimus repetito.

Viarum

Viarum quas diximus motus prorsus annulorum instar aut circulorum inter se mutuo insertorum se pervadunt, ac si ne interruptione totum corpus circumveunt, manè verò redeunt ad locum manus dextræ, ac inde iterum fluere ac currere incipiunt. Inde est, ut ex hoc loco manuum, qui & os spirituum dicitur, de quibusvis morborum generibus & ipsâ vitâ & morte possit ferri sententia.

Observes hic quasi per transennam, quod cùm sint quindecim iō seu semitæ aut calles emergentes ad latera viarum, tribus quoque diversis motibus & pulsibus diversas efficiunt vias, ut infrà dicetur.

Cujuslibet diei hora matutina (*ym*) quæ est tertia & quarta Europæa matutina, fit motûs ac flexûs initiū, nam in meditullo magnæ partis corporis oritur, & membro pulmonum communicatur, unde initium motus est à pulmone, ab hoc ad magna intestina: ab his verò ad stomachum, à stomacho ad lienem, hinc ad cor, inde ad parva intestina, ab his ad ureteres & vesicam seu renes, à vesicâ seu renibus ad involucrum cordis, hinc ad infimam seu tertiam regionem corporis, ab hâc ad fel, & denique ad hepar motus sanguinis & spirituum decurrit, qui ibidem horâ primâ & secundâ noctis terminatur; Sequentis diei horâ tertîâ & quartâ matutinâ ad pulmonem cursum suum denuò resumit, ac sic per consequentes dies & menses & annos eum cursum prosequens, vitæ periodum sibi consentaneam tandem absolvit. Cùm igitur in pulmonibus seu viâ pulmonum omnium viarum sit caput ac principium, id est: cùm per illas sanguis decurrit, qui rursus ac motus sanguis non aliunde est, quam à spiritibus, in quos dominantur pulmones, & cùm à loco dicto cursus instituitur horis matutinis, & eodem quoque pulsus venarum incipiat, fit, ut in loco dexteræ manus pulsus explorandi sint.

Textus: Cognito fine & principio facilè est determinare, quomodo se habeant humidum radic. & calor primig.: Quare hoc

re hoc dicitur? Quia videlicet finis & principium pulsuum, & præterea humidi radicalis & caloris primigenii sedes est, ex quâ rotæ instar manè incipient moveri, & ideo diximus principium inibi esse, sed & finem verè etiam, quod nimurum trium viarum humidi radicalis à trium viarum caloris primigenii spiritus finem habeant, ad quorum quidem finem mors consequitur. Verùm ejusmodi mortis singulæ viæ sua habent indicia, atque ideo dicimus finem habere.

Commentarius. Inest singulis rebus suus calor suumq; humidum, ideo finis & principium illorum in ipsis locis determinatis caloris & humidi reperitur. Porrò in pulsuum viis illa duo sunt præcipua vincula, & hoc in loco *ki keu* dicto, quod ibi trium viarum humidi radicalis & trium caloris primigenii pulsus matutino tempore in dextrâ manu percipiatur, & moveri incipient, circulariique. Initium ergo ipsius motus est à spiritibus & primigenio calore, finis vero ac desitio tum pulsus, dein trium viarum humidi radicalis & trium viarum caloris primigenii. Finis autem dicitur, quia humidum radicale finem accipit.

Mortis cuiuslibet indicia sunt hæc, quæ sequuntur. Primo: Vesicæ seu renum humidi radicalis diminuti, Spirituum desinentium signa sunt: dentes acuti & eminentes, carnis marcor & siccitas. Secundo, stomachi: Pedum humidi radicalis spirituum desinentium signa sunt, corporis extenuatio, & labiorum alterius ab altero in obliquum retorsio. Tertio: Hepatis: defectuosi humidi radic: Spirituum desinentium signa sunt: Lingua in rotundam extuberans superficiem. Quartò: Pulmonum humidi radic: magni spirituum desinentium signa sunt, ariditas pellis & corporis, item capillorum ac crinum defluxus seu erexitio. Quintò: Cordis diminuti humidi radic: Spirituum desinentium signa sunt: Dentes, qui nigerimi apparent: Deinde trium viarum caloris primig: spirituum desinentium in oculis signum est obscuratio illorum, & quasi paula-

quasi paulatim offudentes se tenebræ. Ad extremum , sex viarum caloris primig: spirituum desinentium signa sunt in frigidō sudore, qui instar gemmarum appetet, nec defluit in reliquum corpus , & significat propinquam exinanitionem Spirituum, denique ac Mortem. Quicunque igitur hæc indica repereris, de certâ morte ne dubitaveris.

Colligitur ex dictis 1. Non in sinistrâ manu tantum pulsus esse explorandos, ubi & venarum & sanguinis, in quibus pulsus fiunt , maxima est congeries , sed etiam in manu dextrâ pulsus esse explorandos , ubi itidem in loco *ki kew* magna vis est & copia spirituum, qui in homine vivo in sanguine, quem movent, decurrunt, ex quo quidem motu pulsus oriuntur. Primò verò ab hoc loco manus dextræ pulsus explorandus est, quia vitalis rota, seu sanguinis & spirituum circuli (uti suprà dictum est) principium ibidem & finem habent.

Colligitur 2. Vitam in homine seu humidum radicale & calorem primigenium non aliter communicari cum toto corpore, quam quod eadem vita à centro (quod est in corporis mediâ regione) ad peripheriam manuum, capitis ac pedum extensa, cuiusdam rotæ in star ministerio motū sanguinis & spirituum circulariter totum corpus permeantium & penetrantium decurrat ac volvatur à loco ac viâ pulmonum eundem cursum suum exorsa , & perfecto circulo diei naturalis, h. e. viginti quatuor horarum Europæarum eundem cursum continuando, & non solùm circulos diurni motus, sed & menstrui & annui componendo ad periodum seu terminum suis causis consentaneum , aut quamvis afferat aliqua , perveniat , qui terminus Mors appellatur.

Sed quomodo Sinenses deprehenderunt circularem motum sanguinis ac Spirituum à pulmonibus eorumque viâ principium ducere, unde etiam, quod pulsus manè in dexteræ manus loco principium rursus faciat ? Respondetur :

Vitam

Vitam à spiratione (quæ constat ex intropiratione seu aëris attractione & exspiratione, hoc est, aëris ejectione, quæ duo græcè systole & diastole dicuntur) initium facere. Cùm igitur spirationis officina sint pulmones, & vita, ut diximus, faciat initium à spiratione, quâ desinente & ipsa desinit, ab ipsis pulmonibus vitam incipere, & in pulmonibus iterum desinere, seu à viâ pulmonum sanguinem & Spiritus, quæ vitæ sunt vehicula, vitæ motum circularem incipere, & ad eandem viam redire, ut ab hâc iterum repetatur, ex dictis planè conficitur.

In dextro porrò loco, qui *kí kēu* sive spiritum os dicitur locus, qui locus sine dubio terminus est viæ pulmonum, qui spirituum officina sunt, cùm hi calore suo motum ac pulsū efficiant, etiam sequitur initium motus vitæ & pulsuum, quibus se prodit vita, cùm in illo loco via pulmonum terminetur, & esse & manifestari.

Sed quam dices esse causam, quòd via pulmonum in dextro terminetur manus loco? Quam item causam, quòd ibi spirituum sit congeries vis & copia? Quare ibi manè incipit pulsus, & quare manè ille est explorandus, ut rectè de ægroti judicet constitutione. Hæc omnia sequente capite, ubi item de mensurâ temporis motuque pulsuum & circularis vitæ agemus, plana fient.

## CAPUT DECIMUM.

*Cur pulsus manè potissimum explorare oporteat, item, ubi & quot sint loca pulsuum in singulis manibus.*

**T**extus: Huanti Imperator quæstionem proponit hujusmodi: Qui pulsus explorat, quare potissimum matutino tempore id debet peragi? Respondet Kipeus: Quia matutino tempore humidi radic: spiritus nec dum sunt agitatione multâ commoti, nec caloris primig: spiritus

ritus sunt dispersi, potus item ac cibus nec dum sunt recepti in corpus, viæ pulsuum nec dum sunt repletæ, venarum rivuli æqualiter adhuc observant pulsum, sanguis demum ac spiritus nondum sunt perturbati, ideo hoc tempus præ omni alio est idoneum pulsibus explorandis.

**Textus:** Post palmam manus est os quoddam altius eminens, cui nomen limes.

**Comment:** Ductâ rectâ lineâ ab ungue pollicis proximè post juncturam & flexum, qui est brachium inter & manus, exstat os aliquanto eminentius, hic ipse brachii est pulsus (*quān* dictus) qui bene observandus est. Post palmam sublime exstat os, sub quo directè loci (qui limes vocatur) pulsus percipitur.

**Textus.** Per ordinem (ab hoc loco) distingue & ordina locum *chē*, qui significat cubitum Sinicum (& est multò minor Europæo,) & tria loca seu puncta diligenter annotabis.

**Comment:** Quocunque tempore pulsum explorabis, ante omnia medium digitum manus, qui est à pollice ordine tertius infra dicti ossis eminentioris locum fac applies, & hoc modo repieres determinatam sedem pulsus ejus puncti, quod *quān* seu limes dicitur, per digitum indicem proximè antecedens punctum, *cūn pū* dictum, tange, & digitus tertius, qui sequitur medium, & est annularis, incidet in tertium punctum pulsus *chē pū* dicti.

**Textus :** E loco palmæ manuum dicto *iuci* usque ad os eminens (*quān*) progrediendo, spatium intercedit unius articuli digitalis (*cūn*) medium verò illius spatii (quod articuli os dicitur) ab hoc punto (*quān*) progrediendo ad cubitū (*chē cē*) illius, quod cubiti lacunam significat. Inter duo puncta sic assignata medium locum seu punctum obtinet, qui est post *cūn* & ante *chē*, sàpe nominatus locus *quān*, id est limes, eò, quòd ibi calor primig. mediantibus spiritibus egrediatur versus *cūn* primum locum, & humidum radic. mediante sanguine vena-

rum regrediatur versus chē locum tertium, unde fit, ut per locum illum tanquam per limitem terminentur triplicis caloris primig. egredientis distinctæ viæ, & triplicis humidi radic. regredientis totidem etiam viæ, atque ob hanc causam percipitur motus triplex caloris primig. & triplex humidi radicalis.

Motus quidem spirituum (qui sunt à calore primig.) procedunt à loco tertio (chē) & secundum locum (quañ) ingreditur usque ad primum locum, qui dicitur cūñ. Motus verò sanguinis, qui est ab humido radic. manans à loco primo cūñ & per locum secundum quañ progreditur usque ad locum tertium chē dictum.

Ex loco primo pulsuum, cūñ dicto, cognoscitur constitutio supremæ regionis corporis, quæ est à vertice ad pectus, & protenditur etiam ad pellem corporis & capillos. In secundo loco pulsuum cognoscitur constitutio mediæ regionis corporis, quæ est à pectore ad umbilicum, & occupat omnia ibidem contenta. In tertio loco pulsuum percipitur constitutio infimæ regionis corporis, quæ est ab infimâ stomachi parte usque ad pedum plantas.

Ex his colligitur, tam in manu dextrâ quam in sinistrâ esse tria loca seu puncta, in quibus Medicus tribus item digitis pulsuum debet explorare.

Colligitur secundò, quod medius seu secundus locus pulsuum in dextrâ manu ibi planè est, ubi os spirituum est, & in manu sinistrâ medius & secundus locus pulsuum ibi est, ubi venarum concursus tāi quēn dictus, & alio nomine gīn īm hominis obviatio appellata, seu caloris primig. & humidi radic. obviatio.

Quare verò hoc loco pulsuum indita sunt nomina limitis & cubiti Sinici? Secretum aperiam. Credunt Medici Sinenses, venarum meandros, per quos meant remeantque sanguis & spiritus, si extendantur, & earum longitudinem aliquis velit metiri, contineri. 810, (chām) sic intelligendo, ut spiritus

spiritus servatā semper proportione mensuram inter & ipsum corpus prout hoc majus est, minusvē contineat. Est autem *Chām* mensura Sinica, quæ spatium utriusque brachii bis complectitur, quæ mensura constat decem aliis minoribus mensuris *chē* dictis (quæ vox cubitum Sinicum minorem Europæo significat) *chē* autem mensuræ decem mensuras digitales *cūn* dictas. Quare si ab digitu medii extremitate illius venarum dictam dimensionem 810. *chām* metiri velimus, incipiendo à mensurâ primâ *cham*, mox eæ, quas continet, mensuræ minores occurrent, *chē* videlicet & *cūn*. Unde sequitur, quod prima *chē* mensura cubitalis ad brachium in loco tertio pulsuum suprà assignato & *chē* dicto terminetur. Nam *cūn* mensura seu articulus digitalis in loco illo appellationem suam amittit. v. gr. Caloris primig. via per pulsum (*feu*) supernantem, qui leni tactu in superficie pellis & carnis percipitur: humidi verò radicali, qui per pulsum *Xin* profundum ex tactu fortiori ad ossa habet, percipitur. Secundus autem seu medius locus, qui de calore & humido æqualiter participat, per pulsum *huōn*, id est remissum, seu neque natantem neque profundum dignoscitur. Quare explorans pulsum in *cūn* & in *chē* ferè totum illud spatiū tribus digitis occupat, sed cum hāc distinctione, quod scilicet primus digitus tangens primum locum exploret tantummodo *yām* sive calorem primigenium, & tertius digitus tangens tertium locum exploret *yīn*, hoc est, humidum radicale. Verūm magnus seu medius digitus tangens medium locum exploratissimè, ac uno eodem que tactu *yām* & *yīn* dignoscit.

Textus: Venarum pulsus habent locum *chē* & *cūn*. Quare? Quia scilicet *chē* & *cūn* continent principalium rerum congeries, in loco medio *quān* usque ad *chē* humidi radicalis est dominium, ideo oporteat distinguere, *cūn* articulum notare item locum *chē*: Item distinguere *chē*, & conferre cum loco *cūn*, in quo est caloris primig. dominium.

Comment: Pulsus habent in membris tria loca, *cūn quān* & *chē*. *Quān* locus medius est, in quo si pergas ad *yān* ci cavitatem, habes *cūn* spatium, seu articuli digitalis mensuram, quod quidem spatium subjicitur calori primig. egredienti ex limite seu loco *quān*: At verò si à *quān* limite ad *chē* cē locum pergas, spatium *chē* cubiti Sinici impletur, ac nomen etiam ejus acquirit, estque ejus spatium subiectum humido radicali regredienti.

Ex hoc intelligitur, quod humidum radicale intra mensuram *chē* sive cubiti Sinici (cujus cubiti initium accipi debet ab extremo digiti annularis) occupat spatium articuli decimi digitalis; At verò calor primig. residens intra *cun* (puta articulum digitalem illum, qui ab extremitate digiti medii numerando nonus est, novem partes illius *cun* solūm occupat) de quo infrā. Sic *chē* & *cun* sunt principium & finis pulsuum, videlicet unus articulus, qui *chē* vocatur, & alterius articuli novem partes; Ideo illa loca dicuntur *cun* & *chē*.

Comment: Nota: Singulas mensuras *cun* habere partes decem æquales & pares, & quidem ultimam mensuram *cūn* seu decimam articulorum digitalium (quæ constituunt mensuram *chē* cubiti Sinici) integer sit articulus, humidum radic: in illo residens spatio, occupans, æqualium partium numerum parem & æqualem, est perfectissimum (& *lao* in dicitur) hoc est, maturum & perfectissimum humidum. Numerus impar, licet æquales quidem partes habeat, sed in impari numero in nonā parte articuli (*quān* ī *ūn* appellamus, & est primus locus pulsuum) reperitur, nam decima pars æqualis pertinens ad numerum parem, & integratatem articuli ipsam palmarī manus ingreditur, ut videre licet in figurā. Ideo in dicti *cūn* articuli numero impari calor primigenius novem solūm partes occupat, & in illis *lao* *yān* quod maturum & perfectissimum significat calorem primigenium, sedem habet.

Etenim, sicuti humido radicali par numerus adscribitur:  
ita ca-

ita calori primigenio impar. Quare intra chē cubitum Simum oportet distinguere humidum radic: & calorem primig: nec non loca quæ occupant, chē videlicet, seu illius articulum digitalem integrum, qui illam mensuram compleat, & est in numero decimus, numerando ab extremitate medii digiti, & ēn articuli novem partes, quæ duo sunt principia ac fines pulsuum, & nobilissima loca venarum, ubi simul manifestantur sanitas & morbi, & quidquid sanitatem vitiat, atque adeo horum omnium accipi debet notitia.

### CAPUT UNDECIMUM.

*Pulsuum tria loca tam in dextrâ quam in sinistrâ manus inventa quorumnam vitæ fontium statum ac constitutionem, & quo ordine inter se manifestent;*  
*Item, quæ sit ratio ordinis, & quæ etiam levitatis & gravitatis, quæ pulsibus accidit, explicatur.*

**T**extus: Pulsus indicantes statum cordis sunt à diminuti humidi radicalis ad manus via, quæ ab ipso corde initium dicit, alterius item viæ, quæ parvorum intestinorum statum prodit, manuum magni caloris primigenii via est. Hi, inquam, pulsus sunt in manus sinistram primo loco ēn kiu dicto ante locum quan. Ambæ viæ junguntur in supremâ corporis regione ad aulam spirituum in loco quay ici, id est, testudinis cauda.

Pulsus indicantes statum hepatis percipiuntur in sinistram manus medio loco quan dicto, & statum viæ, quæ dicitur ēn kiue jn kim id est: defectuosi humili radicalis à pedibus ad caput via; Ulterius item viæ, quæ fellis statum prodit, diciturque ho xaō yañ kim, id est: diminuti caloris ad pedes via. Hi, inquam, pulsus in manus sinistram secundo loco quan dicto percipiuntur: Ambæ viæ junguntur in mediâ regione corporis, loco dicto pao muen quod significat membranarum portam.

Pulsus indicantes statum vesicæ seu renum sunt in sinistræ manus loco tertio in diminuti humidi radicalis à pedibus viâ; Ureterum autem, quorum status ibidem exploratur, sunt in magni caloris ad pedes viâ. Ambæ viæ uniuntur in infimâ corporis regione in loco, qui dicitur *quan yuēn cō*, id est, clausarum originum sedes.

Pulsus indicantes statum pulmonum, & statum viæ, quæ ab ipsis ducit, dicitur *Xeu tai yn kim*, id est, magni humidi radicalis ad manus via. Alterius item viæ, quæ à magnis intestinis procedit, & dicitur *Xeu jam mim*, id est: puri & lucidi caloris primig: à manibus via. Hi autem pulsus in manus dextræ primo loco antelocum *quan* percipiuntur, ambæ verò viæ junguntur in primæ partis corporis loco *hu kiē chi su*, id est: exspirationis & inspirationis civitate in puncto determinato, quod dicitur *yuēn muēn* id est, nubium porta.

Pulsus indicantes statum lienis sunt à viâ magni humidi radicalis à pedibus, & in manus dextræ secundo loco percipiuntur. Ibidem item alterius viæ seu stomachi pulsus est à viâ puri caloris primig: ad pedes. Ambæ illæ viæ se penetrant, & uniuntur in *chum ciāo*, id est, mediâ regione corporis seu meditullio, quod est inter lienem & stomachum.

Pulsus indicantes statum portæ vitæ & viæ, quæ ab hac ducitur, dicuntur: defectuosi humidi radic: ad manus via, alterius autem viæ, quæ tertia corporis partis statum prodit, & dicitur diminuti caloris à manibus via, percipiuntur pulsus in tertio loco manus dextræ *chē dictō*. Ambæ hæ viæ sese penetrant & uniuntur in infimâ regione corporis.

Colligitur, pulsus, qui in sinistræ manus primo loco percipiuntur, indicare statum cordis & parvorum intestinorum, affectiones viarum, & præterea habitum supremæ regionis corporis. Et sic de reliquis collige.

Sed quare in tribus prædictis locis pulsuum, tam dextræ quam sinistræ manus, Sinenses Medici duodecim vias & origines il-

nes illarum, à quibus sunt, ac illarum constitutionem prædicto ordine cognosci posse doceant, operæ pretium fuerit ex illis ipsis cognoscere.

Textus: Pulsus habet tria loca, & quilibet locus quatuor vias, videlicet viam manuum magni humidi radicalis, & pedum caloris primigenii lucidi, item magni primigenii caloris, & pedum diminuti humidi radicalis. Quare in locis pulsuum aliquæ ex viis sursum tendunt, aliquæ deorsum, aliquæ à primo loco pulsuum, aliquæ à tertio indicantur.

Comment: Tria loca pulsuum sunt tam in dextrâ quam sinistrâ ; Quilibet indicat duas vias, unde idem locus v. g. primus in utrâque manu indicat quatuor vias, & consequenter de reliquis collige.

Ex membris sæpe memoratis pulmones & viæ illorum sunt in corporis humani supremo omnium loco, vesicæ seu renes in infimo ; Ideo in dextrâ manu (cùm in dextrâ parte supremæ partis corporis resideat pulmonum membrum) pulmones & via illorum, (quæ est manuum magni humidi radicalis) constituitur in pulsuum supremo & primo loco, uti etiam adjuncta intestina magna, & via illorum, quæ est manuum lucidi caloris primigenii via. Ambæ viæ sunt subditæ Elemento Metalli ex Sinarum quidem sententiâ, quæ etiam ob spiritus copiam pulsus supernatantes efficiunt, qui pulsus eorum statum primo loco indicant.

Porrò renes seu vesica & ejus via, quæ est pedum humili radicalis diminuti, & ureteres eorumque via, quæ est pedum magni caloris primigenii via, ad sinistram in parte infima corporis pertinet, & ambo, cùm subiecta sint aquæ Elemento cuius natura est ad infima defluere) in sinistræ manus infimo seu tertio loco pulsus suam constitutionem indicantes obtinent.

Textus: Manuum humidi radicalis & caloris primigenii viæ pertinent ad metallorum (Sinicum) Elementum.

Pedum

Pedum humidi radicalis & magni caloris primigenii viæ pertinent ad Elementum aquæ (à Metallorum Elemento, dicunt, Sinas producere aquam) quæ petit semper inferiora, & nequit ascendere, ideoque viæ vesicæ seu renum & ureterum pulsus manet in infimo & ultimo loco manuum.

Pedum defectuosi humidi radicalis & diminuti caloris primigenii viæ pertinent ad Elementum arborum seu aëris, & producunt manuum magni caloris primigenii & humidi radicalis diminuti igneas vias. Cùm enim Elementi ignis substantia ascendet, nec descendere possit, fit, ut etiam viæ cordis locum pulsum superiorem & in sinistrâ, ubi cor residet, obtineant. Et cùm ignis via gignat pedum magni humidi radicalis & lucidi caloris vias, quæ viæ procedunt à terreo liene & stomacho: Et cùm terræ Elementi locus sit in medio, ideo illæ viæ lienis & stomachi medium pulsum sive secundum locum occupant in manu dextrâ.

Omnia quinque Elementa, & illa, quibus dominantur, illo ordine collocantur, quo se producunt. Et hoc intellige de membris & intestinis eorumque viis, quæ habent virtutes Elementorum & denominationem ab iisdem.

Comment: Pulmones & intestina magna naturæ Metallicæ generant aquam seu renes, nec non ureteres, quæ habent aqueas qualitates. Ideo cùm sint pulmones dextrum membra, & magnæ supremæ partis locum super cor obtineant, pulsus quoque illorum constitutionem in primo loco dextræ manus indicat.

At verò vesicæ seu renes cum ureteribus, cùm sint ad sinistrum in infimâ parte corporis magnâ, & cùm aqua, quæ illis dominatur, ob fluxum infimum petat locum, viæ illarum in manu sinistrâ pulsum ultimum seu sexti loci obtinuerent; & quia aqua seu vesica est mater arborum, & aëris, seu hepatis & fellis statum indicantes in sinistrâ manu supra locum vesicæ, locum secundum seu medium (cùm etiam sint in magnæ

magnæ regionis sinistrâ parte ) occupant. Jam verò ligna, arbores & aér generant ignem, qui superiora appetit, cor verò ac intestina parva ac illorum viæ ad ignis Elementum pertinent, suntque in supremæ regionis parte sinistrâ,

Atque ideo pulsus constitutionem illorum indicantes occupant primum locum in manu sinistrâ ; Ignis verò cùm sit productor cinerum atque terræ, quæ in medio sita est, ac ad medium partem corporis spectat. Et lien cum stomacho ad dextram vergens (cui terræ nomen inditur) ad corporis medium partem pertinet. Pulsus affectiones viarum lienis & stomachi indicantes in dextræ manus medio seu secundo loco sedem habent. Porta denique vitæ, et si habeat igneas qualitates natura tamen illius aquæ est, ob quam sèpe vesicæ seu renum nomine compellatur, & spiritus vaporibus aqueis constant, quorum ipsa sedes est, ideo infimum locum seu tertium in dextrâ manu & pulsus viam suam indicantes, sortita est, uti etiam tertiaræ partis corporis viæ dictæ portæ annexæ. Hunc in modum in manib[us] tam dextra quam sinistra sex loca secundum ordinem Elementorum, duodecim viarum & earum pulsum assecuti sunt, quem ordinem in compendio sic accipe: Initium faciunt pulsus duodecim viarum , scilicet in dextræ manus primo loco, qui à viâ metallicorum pulmonum & à viâ magnorum intestinorum , quæ viæ generant in sinistræ manus ultimo loco vias aquæ vesicæ seu renum & ureterum, hi autem generant in medio loco sinistræ manus aërei seu arborei hepatis & fellis vias , hæ autem in primo sinistræ manus loco cordis & parvorum intestinorum vias , quæ in dextræ manus tertio loco (quod igneas qualitates se mutuò adjuvantes habeant) proximè dictæ cum cordis & parvorum intestinorum viis, portæ vitæ & tertiaræ partis corporis vias gignunt. Viæ verò igneæ in proximo medio loco terram & cineres producunt, quarum rerum lien & stomachus naturam habent, unde & hoc loco illorum viæ, & qui ab illis dicuntur

Dec. II. Annus IV.

I \*

pulsus,

pulsus, constituuntur. Et cum lien & stomachus seu terra producant metalla, quorum naturam obtinent pulmones & magna intestina, viæ amborum in manus dextræ primo loco inveniuntur. Et sic deinceps.

Colligitur, quod inferiores viæ membrorum & intestinorum in pulsibus habeant locum infimum seu tertium, & supremæ viæ superiorem, & mediæ medium. Verum, cum ea, quæ superiora obtinent, levia sunt, & quæ inferiora obtinent, gravia esse censentur, quarendum est, an in pulsibus propter dictam coordinationem materiae levitas & gravitas reperiatur.

Sinenses, cum coordinatione universi observassent Elementa, ea, quæ supremum obtinebant locum, minimè gravia esse, ea vero, quæ inferiorem, maximè gravia esse, illa vero, quæ medium, minùs gravia esse, vel partim levia partim gravia: Ita etiam membra (quæ Elementa etiam vocant) in corpore humano quædam esse in supremâ parte, & pulsus vias illorum indicantes, tam in dextrâ quam sinistrâ locum obtinere, sibi persuaserunt, pulsus illius loci minimè graves esse deberet; Infimos autem pulsus seu membrorum inferiorum esse gravissimos; qui denique in medio loco percipiuntur, minùs graves, seu partim leves partim graves esse.

Textus: Pulsus cur habent gravitatem & levitatem? Respondetur: Pulsus in loco supremo trium parvarum fabarum pondus habet, & status in pelle supremâ & adjunctis capillis percipitur, indicatque pulmonum viam; Si vero videas, pulsum habere sex fabarum gravitatem, & mox percipi in compressione venarum & sanguinis, esse pulsus cordis intelliges; At si novem fabarum pulsus & in attachu fortiori carnium advertatur, ipse est pulsus stomachi in loco medio; Et si sit duodecim fabarum gravitas, pulsusque in attachu nervorum percipiatur, ipse est pulsus hepatis in medio loco. Porro ad ossa ipsa

ipſa manum applicando pulsus quicunque reperietur, erit veſicæ, (quæ & portam vitæ complextitur) & quindecim fabarum gravitatem habebit. Dici igitur debet, pulsibus inesse gravitatem & levitatem pro coordinatione, quam loca membrorum ac intestinorum, & viæ, quæ ab illis procedunt, inter ſe ſortitæ ſunt.

Comment: Leve eſt ſubtile & natans ad superficiem, planè ſimillimum cœlo, groſſum eſt grave, vergens in profundum, ſimillimum terræ, quia de utroque partipat. Membra quinque habent gravitatem, habent & levitatem, quædam ſurſum ſita ſunt, quædam deorſum: Spiritus illorum aliqui ad superficiem aliqui in profundum tendentes, cum cœlo & terrâ ſimilitudinem habent, ideo per pulsus in levitate & gravitate diuersos ordo gravitatis & levitatis eſt iſi, qui ſequitur. Pulmonum alæ, quæ instar foliorum alia quatuor membra cooperiunt, in primo ac supremo loco resident, ideo pulsus viam illorum indicans necessariò leviſis eſt. Quisquis igitur locum diſti pulsus explorare voluerit, non amplius tribus fabis gravem reperiet, percipiturque in pellis, & qui pelli adnaſcuntur, pilorum ſuperficie. Ideo pulmones dominantur in pellem & pilos. Pulsus vocatur *feu*, quod natare ſignificat. Cor eſt infra pulmones in ſecundo ordine, dominatur ſanguini & venis; Ideo pulsus indicantes viam cordis neceſſe eſt eſſe paulò graviores. Digiſi, qui illos explorant, reperiunt eſſe graves ſex fabis, & percipiuntur ad preſſionem venarum pulſus exundantes. Et ſic de reliquis juxta prædicta.

Adverte autem, quod Sinenes, quando metallorum nomen & naturam attribuunt pulmonibus, ea hōc indicare voluisse, quod pulmones, & illis adjuncta magna intestina habeant illas qualitates, quæ iis maximè congruunt, & quibus ipſa Metalla præ aliis excellunt: Uti ſunt groſſities, opacitas & frigiditas, nam per has aquam, quæ maximè eſt frigida, producere dicuntur; Adhæc qualitatem illam, per quam resonant

& vocalia sunt metallia, sunt, quæ ad aërem maximè spectant. Unde, cùm aér sit levissimus, pulmones etiam, qui hanc qualitatem assecuti sunt, & viæ illorum, levitatem habent, hoc est, exiguum aut nullam gravitatem. Et sic de cæteris philosophantur membrorum qualitatibus elementaribus, quibus elementorum natura attribuitur, quæ hic sufficiat obiter inuisse, ne aliquis ingenia Medicorum Sinensium non intellecta ratione eorum, quæ asseruntur, reprehendat.

### CAPUT DUODECIMUM.

*Quâ mensurâ temporis in locis manuum tām dextræ quam sinistre reperti pulsus, atq; illorum circuitus dimetendi sunt, & quomodo in exploratione pulsuum per observationem prædictæ mensuræ de corporis bonâ vel malâ constitutione & intestinorum conjicere quis possit, explicatur.*

**E**xploratis locis pulsuum & motu circulari sanguinis & spirituum, ex quo oriuntur pulsus, restat mensura temporis, quam se in pulsibus invenire non potuisse, fateatur ingenuè Galenus. Sinenses verò non solum illa, quæ suprà retulimus, planè ignota Medicis Europæis inventur, verùm etiam mensuram temporis, nobilissimum Artis inventum, pulsibus præscriperunt, ex quâ, bonam esse constitutionem, si pulsus regulariter mensuram adæquat, judicant; Sin verò ab illâ aut deficit, aut illam excedit, malam constitutionem esse.

Textus: Vivens quilibet homo spirat, & spirando vel exspirat seu ejicit calidum aërem, seu introsumit frigidum; siquidem tempore exspirationis pulsus moventur, & decurrunt in venis ad tres articulos digitales in corpore humano: Itidem intropirationis tempore, alii ad tres articulos digitales. Etenim in-

nim introspiratio & exspiratio unam constituunt spirationem, in cuius temporis intervallo pulsuum motus progreditur ad sex articulos digitales in corpore humano.

Atque ita cùm per diem & noctem spirationes ab homine sano tredecim mille & quingentæ fiant, sequitur pulsuum motum in venis viginti quatuor horarum, & horologii artificialis aquei desfluentis, (quali utebantur Sinenses) sive centum quadrantium tempus explere, quod conversioni quinquaginta domorum seu graduum cœlestium, aut constellacionum Sinarum, ex ipsorum sententiâ, exactè responderet. Verum, cùm humidum radicale motu suo in medietate circuli vectum in sanguine pér tempus, quo conversio cœlorum viginti quinque domos decurrit, progrediatur, calor item primigenius in altero semi-circulo corporis humani, aut potius venarū, vectus in spiritibus per tempus reliquum, quô fit conversio cœlorum per viginti quinque domos reliquas, refluat & regrediatur; Ideo ambo supra dicta flexu & reflexu seu progressu & egressu, tempus integræ conversionis cœlorum per quinquaginta domos absolvunt & complent, simul atque per venerunt in spirituum & venarum concursum, in eum locum, in quo sex membrorum & sex intestinorum seu vitæ fontium, tam viæ quam motus illarum & pulsus terminatur ac incipiunt, ut non immerito regula explorandorum pulsuum in loco manuum, ubi dictus est concursus, petatur.

Commentar: Expiratione, quæ dicitur *hū*, calor igneæ naturæ ejicitur, & sequenti mox introspiratione frigus humidus aëreæ naturæ attrahitur seu introsumitur, & dicitur *hiē*, atque ita integra existit spiratio. Unicæ spirationis tempore pulsus venarum conficiunt in corpore iter sex articulorum digitalium spatium. Uti autem circulatio spirationum, quæ per diem & noctem intra spatium 24. horarum habet integras spirationes tredecim mille quingentas: Ita, si singulis spirationibus promoteantur in corpore humano pulsus ad sex ar-

ticulorum spatum, totus circuitus pulsuum decurrentium in corpore conficiet spatum octingentarum decem chām mensurarum. Chām mensura continet 10. cubitos, cubiti mensura continet 10. articulos digitales, articulus autem digitalis etiam 10. partes continet. Rursus, quia viæ quælibet constant spatio triginta trium chām mensurarum, & quinque cūn seu mensurarum digitalium, hoc autem toto viarum spatio actualis motus respondet duarum domorum cœlestium & octo minutorum cursui; (nam Sinenses dividunt cœlum in quinquaginta domos, quas & gradus suo modo vocant) respondent item temporis artificialis horologii aquei quatuor quadrantibus & decem minutis, atque adeo motus quinquaginta domorum, & tempus integrum viginti quatuor horarum, complectitur universum circuitum gyrrantium & regyrrantium pulsuū per venas octingentas & decem mensuras, & consequenter calor primig. (qui in spiritibus intra & extra sanguinem in venis vehitur) tempus illud decurrit, quod tribuitur motui 25. domorum cœlestium, nec non horis duodecim Europæis. Similiter humidum radicale cursum æquat aliarum 25. domorum & horarum duodecim Europæarum, unde fit, ut revolutione domorum cœlestium quinquagesimâ peractâ, & etiam viginti quatuor horarum tempore absoluto, circuitus quoque pulsuum per dicti spatii mensuram absolvatur. Quod ut planius fiat, adverte primò: Noctem & diem, seu cœlorum integrum per quinquaginta domos conversionem (quæ respondet duodecim horis Sinicis, Europæis autem viginti quatuor) commensurari tempore spirationum, quarum circuitus integer in homine sano tredecim mille & quingentas spirationes continet. Porrò in quolibet sano homine spirationis unius intervallo quatuor vel quinque pulsus in venis contingit deprehendi; Unde sequitur, quod pulsus venarum per diem & noctem (sive intra viginti quatuor horas) non pauciores quinquaginta quatuor millibus existant, aut non plures sexaginta septem

septem millibus & quingentis. Cumque cœlorum motus ac tempus, & circuitus pulsuum sibi mutuo corrispondent & æquent, sequitur, quod ubi circularis motus pulsus nec tardior nec celeriore habet ipso cœlorum motu, hoc est, nec plures pulsus nec pauciores, quam suprà diximus, habeat, omnia quoque rectè habere in humano corpore; At vero, si deficiat aut excedat circuitus pulsuum, hoc est: si tardi pulsus, adeoque ob tarditatem pauciores sunt, aut ob celeritatem plures, male hominem habere, & ejusdem membra & intestina viasque ex hâc pulsuum cum cœlorum motu irregularitate dissentire cognoscant. Etenim Sinenses circularem motum vitæ humanae cœlesti esse quam simillimum, quem utique regularissimum & perfectissimum existimant, adeoque omnium aliorum motuum normam & exemplar, ac proinde cum quilibet spiratione ad sex articuli digitalis mensuras progrediantur in sanguine & spiritibus tam humidum radicale, quam calor primigenius, intervallo ac tempore tredecim millium & quingentiarum spirationum absolvitur motus, adeoque sanguinis ac spirituum circuitum in corpore humano octingentiarum & decem mensurarum *cham* spatium confidere necesse est. Initium circulare caloris primigenii in sanguine (à viâ pulmonum) est ab horâ Sinicâ (quæ est tertia & quarta post medium noctem, quâ credunt hominem primum in rerum naturâ ex luteâ terrâ esse formatum, uti & foeminam horâ tertiam & quartâ vespertinâ) usque ad horam sextam pomeridianam (quæ est prima & secunda inclusivè:) Ita initium humidi radicalis ab horâ Sinicâ tertiam & quartam pomeridianâ usque ad primam & secundam post medium noctem inclusivè, quia est circulus completus duorum motuum sive pulsuum humidi radicalis & caloris primigenii, qui quidem pulsus incipiunt in loco manus dextræ, (qui dicitur os & scaturigo spirituum) & ibidem finiuntur, ut iterum incipient ab horâ Sinicâ tertiam & quartam matutinâ. Ideo Sinenses Medici docent, ab hoc manus dextræ

dextræ loco eodem tempore decurrere pulsum, & ex illo statuendum de rectâ aut pravâ constitutione corporis humani, quâ, inquiunt, in loco & tempore assignato duodecim viarum motus & status humidi radic. & caloris primig. certò detegitur; Nondum enim humidi radicalis spiritus (puta vitales) dispersi sunt, & caloris primig. spiritus (puta animales) nec dum adeo commoventur, quia ex illo loco primùm ac in illo tempore incipiunt moveri: Item dicto tempore nec dum cibis sumitur, unde viæ duodecim non sunt repletæ, sanguis etiam atque spiritus in suo naturali consistunt loco, utpote nec dum perturbati, quod non accidit alio tempore. Quare sicut per mensuram conversionis cœlorum per quinquaginta domos seu gradus cœlestes: Ita tempore viginti quatuor horarum & octingentarum & decem *cham* mensurarum spatium *yñ* & *jam* seu calor & humidum, fluunt ac refluunt, invenerunt, quæ respondeant circulari intervallo tredecim milium & quingentarum spirationum. Sic ex dimidiata mensurâ motus viginti quinque domorum cœlestium, & ex dimidiata mensurâ temporis duodecim horarum (seu sex Sinicarum) accipi volunt mensuram ejus intervalli, in quo circuitus venarum per motum *jām* & *īñ* dimidio spati, quod est quadringtonitarum & quinque *cham* mensurarum, & dimidium numeri spirationum, quod sex mille septingenta quinquaginta quinque complestetur.

Ex quo deducitur, quod singulis horis nostris, (quæ respondent dimidiæ Sinicæ horæ) & singulis cœlestibus duabus domibus, seu gradibus & quinque minutis, spirations in homine sano fiunt quingentæ sexaginta duæ & dimidia. Pulsus verò, si naturales sunt, (quia quolibet intervallo spirationis aut quatuor aut quinque pulsus contingunt) non pauciores bis mille ducentis quinquaginta, aut non plures bis mille octingentis duodecim & plus aliquantò deprehenduntur, in quo interstitio sanguis & spiritus, ac in illis *jām* & *īñ* calor & humili-

humidum, seu resultans ex illis vita promovetur triginta tribus mensuris *cham* ac septem *chē* cubitis, & quinque *cun'* digitalibus mensuris per dictum flexuosum spatium seu mæanders viarum in corpore humano. Unde, cùm quadrante uno spirations contingent in sano homine centum & quadraginta & dimidia circiter, sequitur, pulsus non pauciores, quām quingentos sexaginta duos, aut non plures quām septingentos duos, & interea promoveri sanguinem & spiritus in corpore humano ad mensuras octo *cham*, quatuor *chē* & tres *cun'* & paulò ampliūs.

Adverte tertio: Ex his manifestum esse, quōd sicut in homine sano spirations per circulos cœlestes temporis, & consequenter motus pulsuum in venis respondent, naturales esse; Verū in homine ægroto tam spirations quām motus pulsuum semper vel deficere, vel excedere numerum spirationum prædictum, adeò, sicut rectum est regula obliqui, & æquale est norma seu regula cognoscendi excessus vel defectus inæqualis, pari ratione sani hominis regulares seu naturales spirations & pulsus bene perspecti manifestant ægrotorum irregulares & præternaturales spirations ac pulsus. Inde Sinenses volunt, Medicum sanum esse, ut possit de morbis aliorum judicare, juxta quod dicunt, ne Medicus ægrotus se ipsum curare præsumat, cuius Sinenses effati dabunt rationem sequentem. Sani hominis spirations tempore pulsus non pauciores quatuor, nec plures quinque contingere; Sed in infirmo homine certissimum est, aut pauciores quām quatuor, aut plures quām quinque accidere, ex quibus pulsibus deprehendi posse tam morbos, quām periculum Mortis, & ipsam mortem & causam illius ajunt. Medicus igitur ægrotus, cùm spiratione sani hominis ( quæ involvit mensuram cœlorum, regularis temporis, & mensuram spirationum sani hominis ) caret, proclive est, ut pulsus regulares in sano, & irregulares in ægroto, sive in alio, sive in se ipso, soleat esse regulare, & facile

morbū alium, quām revera sit, esse existimet, nisi fortē magnā experientiā mensurā irregularis, temporis & intervallī spirationum in pulsibus explorandis polleat, sic enim adhuc posset & sui & ægrotantis aliorumq̄e constitutionem deprehendere.

Adverte quartō : Quod Sinenses non solum repererint in sanguine & spiritibus, &, qui ex his oriuntur, pulsibus, (quos quidem metiuntur per spirationum certas morulas) circuitum, qui omnino respondet intervallo horarum quatuor & viginti, nec non conversioni integræ cœlorum, sed etiam reperiisse illius annum circuitum sanguinis ac spirituum, hoc est, per duodecim menses lunares secundūm tempestates & immutationes annuas, hoc est : distinxisse duodecim viarum & originum membrorum & intestinorum pulsus, neque solum pulsus diurnos assignasse cornaturales duodecim vias & origines, à quibus sunt, ut eorum constitutionem manifestarent : Verūm etiam pulsus pro ratione tempestatum anni & immutationis, quæ tum contingit, unicuique membro ac intestinis eorumq̄e viis assignasse, imo defectus, decrementa & incrementa talium pulsuū diligenter annotasse, uti infrā docebimus.

Unde, sicut prior motus diurnus ab ortu in occasum vocatus, & secundus ab occasu in ortum : Planè simili modo motum primi mobilis viginti quatuor horarum, & motum raptus, ut ita dicam, licet conjicere.

Ex dictis colligitur, spatium venarum in corpore humano continere octingentarum mensuratum chām quantitatem ; Atverò in locis assignatis pulsuū ex motu circulari prædicto causatorum mensuram esse tredecim mille & quingentas spirations in homine sano, cuius mensurā alia est mensura, quinquaginta cœlestium domorum circumvolutio in orbem. Hujus verò motus ac temporis artificialis mensura in horologio aqueo

gio aqueo quadrantes omnino centum continet. Restat mo-  
dò, ut sigillatim pulsuum mensuram explanemus.

### CAPUT DECIMUM TERTIUM.

*Circuitus ac motus sanguinis ac spirituum, seu potius  
pulsuum, (qui à motu circulari die ac nocte unicā  
complentur) per certos numeros spirationum, per  
motum determinatum cœlestium domorum, per ho-  
rarum deniq; & quadrantium mensuras & para-  
digma.*

**D**iximus, circulum motuum sanguinis & spirituum,  
unde & cœpit, finiri & absolvi in manus dextræ loco  
*cun' kew'*, ubi pulsus est viæ pulmonum, & matutino  
tempore cujuslibet diei denuò ordiri cursum, ex quo  
evidenter patet, pulsus quoque per hoc diei & noctis 24. hora-  
rum intervallum, qui ex motu sanguinis & spirituum oriun-  
tur, eodem tempore & loco terminari. Modò hujus circula-  
ris motū sanguinis & spirituum seu pulsuum mensuras anno-  
tatas, adjunctis etiam viis, per quas decurrunt, & locis, in qui-  
bus reperiuntur, sigillatim declarabimus. Adverte impri-  
mis, quòd diem & noctem, seu integrum unam conversionem  
cœlorum Sinenses metiantur horis duodecim, sed ubi clepsy-  
drâ utuntur centum quadrantibus, qui sine dubio minores  
sunt nostratis. Quare reducendo ad calculum temporis  
nostrī tam horologium aqueum, quam duodecim horas Sini-  
cas, noctis & diei tempus erit viginti quatuor horarum nostra-  
rum; Unde una hora Sinica duas nostras complectitur, & me-  
dia Sinica integrum nostram, & ex horologio aqueo quatuor  
quadrantes & decem minuta, quo tempore orbes cœlestes  
duabus domibus seu gradibus & octo minutis promoventur.

Hoc diligenter annotato ad sequentem circuitum per

suas horas exhibitum in sequenti paradigmate animum adverte. Hujus ut intelligentia sit clarior, exemplar dicendorum in horâ unicâ Sinicâ præmitto.

Horâ tertîâ Europæ post medium noctem, quæ apud Sinas horologii horæ (*im* dicitur) dimidiæ, item quadrantibus quatuor & decem minutis horologii aquei, Sinicis domibus seu gradibus in cœlorum conversione duobus & quinque minutis responderet, pulmones propagant humidum radicale per spiritus & sanguinem ad manus; Vocatur magni humidi radicalis via.

In primo punc̄to manus dextræ pulsus *cūn* pulmonum viam & statum indicantes (cūm videlicet illo tempore suprà dicto quingentæ sexaginta duæ spirationes & dimidiæ in homine fano absolvuntur, & spiritus ac sanguis in venis corporis humani triginta tres mensuras *chām*, septem *chē* & quinque *cūn* promoventur) accidunt in homine fano vel non pauciores 2250. vel non plures 2813. & aliquantò plus.

Horâ quartâ matutinâ, quæ *im* Sinicæ horæ alteri dimidiæ completæ, & quadrantibus item quatuor & decem minutis responderet, aut (si per additiones ad priora multiplicare volueris, uti & nos cum Sinis in paradigmate facimus) quadrantibus octo & 20. minutis horologii dicti, & Sinicis gradibus duobus & quinque minutis, seu (per additionem) gradibus quatuor & viginti minutis responderet, iidem pulmones per suprà dictam manuum viam propagant humidum radicale, pulsus regulares in eodem loco manus dextræ manifestantes viam & 562 $\frac{1}{2}$ . in homine fano absolvuntur, aut (per additionem) 1125. & iidem spiritus cum sanguine in venis triginta tres *chām* & quinque *chē* promoventur, pulsus, inquam, regulares non plures 562 $\frac{1}{2}$ . nec pauciores 4500. contingunt, & sic de singulis horis per ordinem in paradigmate ostensum addendo, seu multiplicando priora, cum posterioribus discurre.

Horâ

Horā quintā, quæ Sinicæ *mao* dimidiæ & quadrantibus duodecim in horologio, & gradibus sex cum viginti quatuor minutis cūm cœlo respondet, in magnis intestinis propagant jām calorem naturalem per sanguinem & spiritus à manibus: Vocatur puri & lucidi caloris via. In primo puncto manus dextræ hanc viam & statum magnorum intestinorum (cūm tempore relato spirationes 1687. fiant, & spiritus cum sanguine in venis ad 101. *cham* & duo *chē* & quinque cūn commoventur) indicant pulsus regulares, qui tunc vel non pauciores sex mille 750. vel non plures 8437. existunt.

Horā sextā, quæ Sinicæ *Mao* completa & quadrantibus sedecim & aliquantò plus, gradibus item in cœlo octo & 32. minutis, eadem magna intestina per viam dictam à manibus ad caput propagant calorem primigenium, & cūm bis mille 250. spirationes existant, & spiritus in venis cum sanguine promoveantur 135. *cham*, regulares pulsus non pauciores 9000. & non plures 11250. contingunt.

Horā septimā, quæ Sinicæ *Xin* dimidiæ, & quadrantibus 22. & gradibus 10. 40. minutis correspondet, stomachus propagat calorem primig. ad pedes, vocatur pedum lucidi caloris primig. via. In secundo puncto manus dextræ tam viæ quam membra statum (quando spirationes 2813. & dimidiæ absolvuntur, & spiritus cum sanguine conficiunt in venis 168. *cham*, 7. *chē* & 5. cūn) propagant. Pulsus regulares non pauciores 11250. nec plures 14062. contingunt.

Horā octavā, quæ horæ Sinicæ *Xin* completa, & quadrantibus viginti sex, ac gradibus duodecim, 48. minutis respondet, idem stomachus propagat ad eandem pedum viam calorem primig., quo tempore cūm absolvuntur spirationes 3375. atque spiritus cum sanguine promoveantur 202. *cham* 5. *chē* in venis, pulsus regulares fiunt non pauciores 13500. nec plures 16875.

Horā nonā, quæ Sinicæ sū dimidiæ ex horologii quadranti-

drantibus 28. in cœlo gradibus 14. 56. minutis correspondet, lien propagat humidum radicale ad cor, vocatur pedum seu à pedibus magna humili radicalis via. In secundo puncto manus hujus viæ & stomachi statum (quando spirationes 3937. & media absolvuntur, & spiritus cum sanguine promoventur in venis 236. *cham*, 2. *ché* & 5. *cūn*) propagant. Pulsus regulares, qui non pauciores 15780. nec plures 19687. fiunt.

Horâ decimâ, quæ Sinicæ sū completae, seu 32. quadrantibus horologii, & paulò plus, & gradibus 16. & 64. minutis correspondet, idem lien per dictam viam pedum propagat humidum radicale, & quando 4500. spirationes absolvuntur, ac spiritus cum sanguine 270. *cham* decurrent, pulsus regulares statum illius indicant, qui non pauciores 18000. nec plures 22500.

Horâ undecimâ, quæ n̄ Sinicæ dimidiæ ex horologio 34. quadrantibus, & gradibus in cœlo 18. ac 7. minutis correspondet, cor propagat humidum radicale ad manus, vocatur manuum diminuti humili radicalis via. In primo loco *cun* sinistræ manus constituitur, quando spirationes 6062. & media absolvuntur, & cùm spiritus & sanguis in venis promoventur ad 303. *cham* 7. *ché* & 5. *cūn* pulsus regulares indicant, qui non pauciores 20250. nec plures 25300, fiunt.

Horâ duodecimâ seu meridianâ, quæ Sinicæ n̄ completae & 40. quadrantibus horologii, & in cœlo gradibus 20. 8. minutis correspondet, idem cor propagat humidum radicale ad manus ; Et cùm dicto tempore spirationes 5625. absolvuntur, & cùm spiritus & sanguis conficiunt in venis 337. *cham* & 5. *ché*, fiunt pulsus regulares non pauciores 22500. nec plures 28124.

Horâ primâ, quæ Sinicæ n̄i dimidiæ & 44. quadrantibus horologii, & in cœlo gradibus 22. 2. minutis correspondet, parva intestina propagant calorem ad manus, vocatur manuum

num magni caloris primigenii via. In primo puncto cùn manus sinistræ , cùm dicto tempore spirationes 6187. absolvuntur , & spiritus cum sanguine promoventur in venis 371. *cham* & 2. *chē* & 5. *cūn*, pulsus regulares, qui indicant ejus constitutionem in fano homine , non pauciores 24750. & non plures 30937. fiunt.

Horâ secundâ, quæ Sinicæ *xin* completæ , & 46. quadrantibus horologii , & paulò plus, & in cœlo gradibus 24.20. minutis correspondet, eadem parva intestina propagant calorem à manibus , & cùm eo tempore spirationes 6750. absolvuntur , ac spiritus in corpore cum sanguine promoventur 405. *cham*, pulsus regulares fiunt non pauciores 27000. aut non plures 33750.

Horâ tertîâ, quæ Sinicæ *xin* dimidiæ & quadrantibus 52. ac gradibus 26. & 54. minutis respondet , ureteres propagant calorem naturalem ad pedes ; Vocatur pedum magni caloris via. In tertio puncto *chē* manus dextræ hujus viæ constitutionem, cùm spirationes 7312. absolvuntur , & spiritus cum sanguine conficiunt 438. *cham* 7. *chē* & 5. *cūn* , indicant pulsus regulares , qui non pauciores 29250. & non plures 36562. fiunt.

Horâ quartâ, quæ Sinicæ *xin* completæ , & quadrantibus 56. ac gradibus 29. & 6. minutis respondet, iidem ureteres propagant calorem ad pedes ; Et cùm spirationem 7875. & dimidiæ absolvuntur , ac spiritus cum sanguine promoventur 472. *cham* & 5. *che* , pulsus regulares fiunt non pauciores 31500. & non plures 39375.

Horâ quintâ, quæ Sinicæ *yeū* dimidiæ , & horologii quadrantibus 60. ac gradibus 31. 4. minutis respondet , vesica seu renes propagant humidum radicale à pedibus , vocatur pedum diminuti humili radicalis via. In tertio puncto *chē* manus sinistræ constitutio ejus dignoscitur, cùm dicto tempore spirationes 8437. & media absolvuntur , ac spiritus cum sanguine.

guine propagantur in venis 506. *cham* 2. *che* & 5. *cùn.* Pulsus regulares non pauciores 33950. vel non plures 421887. sunt.

Horâ sextâ , quæ Sinicæ *yeü* completæ , ac horologii quadrantibus 62. ac gradibus 33. & duodecim minutis respondet, eadem vesica seu renes propagant à pedibus humidum radicale, qui hujus viæ constitutionem indicant; Cùm peraguntur spirationes 9000. & spiritus cum sanguine conficiunt in corpore 540. *cham* , regulares pulsus fiunt non pauciores 36000. & non plures 45000.

Horâ septimâ , quæ Sinicæ *Siö* dimidiæ , & 66. quadrantibus horologii, ac gradibus 35. 25. minutis respondet , vitæ porta humidum radicale ad manus propagat , vocatur manuum defectuosi humidi radicalis via. In tertio puncto *chē* manus dextræ hujus viæ status indicatur ; Cùm in homine sano spirationes 9572. & dimidia absolvuntur , ac spiritus cum sanguine in venis decurrunt 573. *cham* 7. *che* & 5. *cùn.* , pulsus regulares sunt non pauciores 38250. & non plures 47812.

Horâ octavâ , quæ Sinicæ *Sio* completae , & 70. quadrantibus & amplius , & gradibus 37. & minutis 28. respondet, eadem porta vitæ humidum radicale propagat ad manus , cùm spirationes 10125. absolvuntur , atque spiritus cum sanguine in venis promoventur 607. *cham* & 5. *che* , pulsus regulares fiunt non pauciores 40500. & non plures 50625.

Horâ nonâ , quæ Sinicæ *hai* dimidiæ & quadrantibus 72. & gradibus 39. 36. minutis respondet, tertia pars corporis calorem à manibus propagat; Vocatur manuum diminuti caloris via. In tertio puncto manus dextræ *chē* hujus viæ constitutio declaratur , cùm spirationes 10607. & dimidia absolvuntur , ac spiritus in sanguine promoventur 641. *cham* 2. *chē* & 5. *cùn.* Regulares pulsus, qui fiunt, non pauciores 42750. & non plures 53437.

Horâ decimâ , quæ Sinicæ *hai* completæ , & quadrantibus 74. & gradibus 40. minutis 44. respondet, eadem tertia pars

pars corporis propagat calorem à manibus, & cùm in sano homine spirationes 11250. ac spiritus cum sanguine peragrant in venis 675. *cham*, fiunt pulsus regulares non pauciores 45000. nec plures 56250.

Horā undecimā , quæ Sinicæ cù dimidiæ , & quadrantibus 80. ac gradibus 43. & minutis 52. respondet, fel propagat calorem naturalem ad pedes , vocatur pedum diminuti caloris via. In secundo puncto *quan* manus sinistræ hujus viæ status indicatur, cùm spirationes 11813. absolvuntur , ac spiritus in venis cùm promoventur 78. *cham* 7. *che* & 5. *cun*. Regulares pulsus , qui fiunt , non pauciores 47280. & non plures 59062.

Horā duodecimā , quæ completae Sinicæ cù , quadrantibus 90. & gradibus 45. & 6. minutis respondet, fel eādem propagat calorem ad pedes , & cùm spirationes 12375. absolvuntur , ac spiritus cum sanguine in venis progrediuntur 742. *cham* , 5. *che* , fiunt regulares pulsus non pauciores 49500. nec plures 61875.

Horā primā , quæ Sinicæ *cheū* dimidiæ , & horologii quadrantibus 96 atque gradibus 98. respondet, hepar propagat humidum radicale à pedibus, vocatur pedum defectuosi humidi radicalis via. In sinistræ manus secundo puncto *quan* hujus viæ constitutio indicatur, cùm dicto tempore spirationes duodecim mille nongentæ triginta septem & dimidia absolvuntur , ac spiritus cum sanguine in venis decurrunt septingenta septuaginta sex *cham* , duo *che* , & quinque *cun*. Pulsus regulares fiunt non pauciores 51750. nec plures 64687.

Horā secundā post medium noctem , quæ Sinicæ *cheū* completae , & centum horologii quadrantibus , ac gradibus in cœlo 50. correspondet, idem hepar propagat humidum radicale à pedibus , & cùm dicto tempore spirationes 13500. absolvuntur , & spiritus cum sanguine in venis promoventur 810. *cham* , fiunt pulsus regulares non pauciores 54000. nec plures 67500.

res 67500. Et sic deinceps in orbem revolutis ad revolutionem cœlorum & intervallum spirationum temporis horologii ac motus in spatio venarum, pulsuum quoq; regularitas revolvitur in sano homine, ex quâ tam noctis quam diei sanitas deprehendi potest, immo & singularum horarum, & hoc non solum in universo corpore, verum in singulis membris & intestinis.

Adverte diligenter, quod pro duplii motu cœlorum, diurno videlicet, qui est 24. horarum, & annuo etiam, pulsus non solum diurni, sed & anni differentes pro differentia quatuor tempestatum in homine, à sanguine & spiritibus causati reperiuntur, quam ob causam Sinenses Medici cuique membro ac intestino, seu potius cuivis pulsuum loco pro ratione temporis ac tempestatis annuae suas quoque vicissitudines inesse docent, atque ita in vere aliter pulsus habere quam in aestate, & in hyeme, quam in autumno; Unde sit, ut pro qualitate pulsuum diversa etiam pulsibus indant nomina; Mensuras autem tam cœlorum quam horologii, tam spirationum quam spatii pulsuum, qualibet anni tempestate si sint, naturales easdem omnino esse volunt. Si vero pulsus unius tempestatis vel præteritæ vel futuræ in locum connaturalis pulsus irrepere vident, ægrotare hominem ex eo cognoscunt; Et si cuti, si pulsus diurni excedunt vel deficiunt à determinata temporis mensura, & à numero spirationum sani hominis, vel ab inordinata qualitate pulsuum, male habere hominem cognoscunt: Ita etiam, si circularem revolutionem, si annua & menstrua decrementa & incrementa in pulsibus tempestatum verinæ, aestivæ, autumnalis & brumalis turbata vel immurata compererint, male affici quoque hominis vitam concludunt.

Verum, ut facile mensuram pulsuum quilibet assequi possit, ac ex illâ sanitatem & morbos cognoscere, ad sequens caput progrediamur.

CAPUT

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

*Quomodo facili methodo mensuram pulsuum regularium, & ex illâ nullo negotio sanitas, morbi & mors ipsa cognosci queant.*

**E**s imprimis mirifici usus atque utilitatis hoc caput, uti & ea, quæ sequuntur, quippe, qui ad illa, quæ dicemus, vel leviter adverterit animum, ferre poterit judicium de vitâ ac sanitate, de morbis eorumque causis, de morte etiam futurâ, & quidem nullo ferè negotio. Secretum aperiamus.

Diximus, intervallum spirationum 13500. mensurarum circuitum, quem faciunt sanguis & spiritus, compleri, eò namque intervallo pulsus causati à memorato motu circuitus mensurantur. Verùm, cùm prorsus difficile sit per integrum diem ac noctem explorare pulsus ad tantam moram spirationum, imò vel ad horam, imò & ad quadrantem, resque foret tediumissima explorare pulsus, qui ad intervallâ tot spirationum disti temporis contingunt; Operæ pretium fuit brevius intervallum præscribere, in quo pulsus regulares & desinentes, & excedentes, deprehendi queant.

Proinde Sinenses contendunt Medici, eum, qui exploraturus est alterius pulsus, ipsum omnino sanum esse debere, liberum à negotiis & curis, nec non majori aliquâ defatigatione, sicut enim fore, ut connaturalem spirationem habere possit. Hic itaque Medicus usus intervallô unius, duarum, trium, & usque ad novem, spirationum, siquidem ipse in singularum morâ spirationum pulsus non plures quam quinque, vel non pauciores, quam quatuor reperiat, quando loca pulsuum utriusque manus explorat, regulares esse pulsus hominis illius, & ipsum valere, securè pronunciabit. Hujus ratio subtilissima sanè hæc est: Spiratio, inquiunt, constat exspiratione (hoc

L 2 est, ej-

est, ejectione aëris) & introspiratione (hoc est, attractione aëris.) Igitur si intervallo exspirationis duos pulsus percipias, intellige, quod viarum cordis & pulmonum statum denunciant, & sic consequenter ad introspirationis intervallum pulsus iterum accipias duos, intelligitur, quod viarum vesicæ seu renum & hepatis pulsus sint, quæ viæ cùm invicem se penetrent, & inter se harmoniam quandam vitæ efficiant, eandem per dictos pulsus in numero relato nec minori ad dictum intervallum, quod reperitur in homine sano, indicant. Et si accidat, in intervallo unius spirationis dari pulsus quinque, intelligere debet, quintum pulsum indicare viam stomachi, & esse in medio pulsuum, sicut & stomachus est in medio membrorum. Dicuntur verò pulsus ad intervallum integræ spirationis indicare bonam hominis constitutionem, eò quod quinque membrorum (cordis, pulmonum, stomachi, vesicæ, hepatis) constitutionem congenitam quinque ictuum numero prodant. (Et sic de singulis locis pulsuum intellige, sicut tamen, ut principium ictuum, seu, ut numerus illi membro & viæ attribuantur, cuius loco pulsus explorantur) Et sic per ordinem.

Porrò, quod unius spirationis intervallo per quatuor pulsus sanum hominem indicari diximus, intelligas oportet, ideo fieri, quia illi quatuor ictus non solum quatuor membrorum, cordis, pulmonum, vesicæ & hepatis statum indicant, verum etiam stomachi (cujus spiritus sunt omnium pulsuum fundamentum,) unde iidem quatuor pulsus qualitates, quas in se habet reconditas, manifestant. Quare sive quatuor sive quinque pulsus repereris intervallo unius spirationis, sanum hominem pronunciabis. At si deficere pulsus, hoc est, pauciores esse ad mensuram integræ spirationis advertas, pravè affectum esse corpus, non dubitanter pronunciabis. In promptu est causa, quia indicatur numerus pulsuum regularis modò assignatus vel excessu suo, vel defectu harmoniam vitæ viatiare vel destruere.

Sed audiamus Sinensem textum:

Quare

Quare dicuntur pulsus alii plures, seu excedentes, alii verò pauciores seu deficientes? Quia scilicet, si ad intervallum exspirationis vel introspirationis solum dentur duo pulsus, denunciant quidem hominem sanum, seu rectè habere; Verum, si dicto intervallo dentur tres pulsus, illi vocantur *lukim*, aberrantes à viâ; Si quatuor pulsus, vocantur auferentes perfectiōnem & integratatem, & si eodem quinque pulsus, vocantur periculosi & mortales; Si verò sex, vocantur vitam abrumptentes. Hi pulsus sunt omnes excedentes.

Sed quare vocantur pauci seu deficientes? Quia ad unicum exspirationem vel introspirationem, si duntaxat unicus pulsus accidat, est item & vocatur aberrans à viâ. At si ad intervallum duarum exspirationum unus integer pulsus fiat, vocatur auferens vitæ integratatem; Et si ad intervallum trium exspirationum unus integer pulsus contingat, vocatur mortalís. Denique, si ad intervallum quatuor exspirationum sit unicus pulsus, vocatur abrumpens vitam. Et hi dicuntur pulsus deficientes. Porro pulsus, qui sunt plures, seu excedentes, incipiunt ab inferioribus ad suprema, & pulsus, qui sunt pauci, seu descendentes à superiori ad inferiora.

Comment. Quod dicitur in textu, intervally exspirationis si dantur duo pulsus, indicant sanum hominem, si videlicet intervally integræ spirationis ad minimum quatuor sint pulsus, nam spiratio constat exspiratione & introspiratione; Atque ita, cum de unâ parte spirationis (hoc est, introspirationis) notat numerum pulsuum, itidem de alterâ intelligi vult parte (seu exspiratione.) Et sic de reliquis, seu excedentibus seu deficientibus. Sed quod refertur de deficientibus pulsibus, si intervally introspirationis accidat unus pulsus, intelligi debet, si tempore integræ spirationis advertas solum duos pulsus, ejusmodi pulsus vocari *pai me*, id est: destruentes & corruptentes. Hi duo pulsus ex deficientibus, & illi sex pulsus ex excedentibus ad intervallum unius integræ spiratio-

nis vocantur *li kim* aberrantes ab ordinariâ & connaturali  
viâ, unde infirmari homines judicant.

Quòd si excedentes seu plures pulsus integræ spirationis  
intervallo sint septem vel octo, & ex deficientibus seu paucioribus  
contingat unicus solum tempore integræ spirationis, tam  
hi quam illi pulsus vocantur *to cuom*, auferentes integritatem  
vitæ, quòd nimirum spiritus subjugent sanguinem & exsic-  
cent, ac vitæ flos vigorque marcescat, & calor illius violen-  
ter auferatur.

Si deinde intervallo unius spirationis excedentes pulsus  
decem advertas, & si advertas ex deficientibus unicum solum-  
modo pulsum intervallo integræ spirationis & mediae (hoc est,  
expirationis) indicat, hominem subjici sepulchro. Nam duo  
hujusmodi pulsus dicuntur mortales. Si verò ex excedenti-  
bus ad intervallum unius spirationis percipias duodecim pul-  
sus, scito, abrumpi & separari animam ; Et si ex deficientibus  
intervallo duarum integrarum spirationum unicus pulsus fit,  
qui pulsus dicitur *monströsus*, & vitam separari indicat, quippe  
membrorum destruitur temperamentum, & spiritu defici-  
ente, anima abit, & mors sequitur. Isti sunt pulsus quatuor  
mortis.

Textus : Pauci seu deficientes pulsus ob quam causam  
sunt infirmantium ? Quia nimirum primi generis pulsus de-  
ficientes (puta, cùm intervallo integræ spirationis duo acci-  
idunt pulsus, qui destruentes vocantur) damnificant pellem, &  
ab illâ defluere capillos faciunt. Secundi generis pulsus defi-  
cientes (puta, cùm intervallo unius spirationis unicus pulsus  
fit, qui vocatur auferens integritatem vitæ) damnificant san-  
guinem, qui cùm evacuetur, atque perparum sui retineat,  
non potest vegetare & irrigare membra & intestina. Tertii  
generis pulsus deficientes (puta, cùm intervallo integræ spirati-  
onis & mediae pulsus unicus accidat, qui dicitur *mortalis*)  
damnificat & exsiccat carnem, unde fit, ut cibi & potus mar-  
corem

corem illius restaurare nequeant. Quarti generis pulsus deficients (puta, cum intervallo duarum spirationum integrorum unicus pulsus percipitur, qui monstruosus dicitur) damnicat nervos, quippe illorum remissio aut laxatio nequit jam curari. Quinti generis pulsus deficients (puta, si intervallo duarum spirationum & mediae pulsus unicus acciderit) damnicat ossa, & medullas exsiccat, quô fit, ut æger lecto affigatur, nec amplius surgere valeat.

Cum simili proportione discurrendum est de pulsibus excedentibus, qui morbos etiam ipsi indicant, sed in horum iudicio illos faciunt ab inferioribus ad superiora, hoc est, à pulsibus illis, qui indicant ossa sicca, & causa sunt, ob quam æger è lecto surgere nequeat, usque dum veniatur ad pellis marcorem & defluxum capillorum, nam in pulsibus deficientibus morbi ascendunt quodammodo à superioribus ad inferiora, hoc est : à pellis marcore & capillorum defluxu usque ad os-sium siccitatem. Qui autem hos vel illos pulsus habeat, indicantes morborum dictum progressum, omnino sibi mortem imminere credas.

Comment: Ex omnibus membris in loco superioris sedem habent pulmones, qui suis quasi alis membra alia tegunt, & intra se recipiunt omnium viarum motus, unde fit, ut via pulmonum sit ad instar maris, congregantis & reciprocantis omnes pulsus, quibus vitam confert vegetativam & vitales spiritus, & ad extrâ quocunque se effundit, vegetationem tribuit pelli & capillis.

Quia verò morbi indicantur à pulsibus deficientibus, ascendendo in morbis à superioribus ad inferiora, ideo pulmones omnium supremum locum obtinentes, atque per suam viam pellem & pilos vegetantes, siquidem habeant primi generis deficients pulsus, in primo loco manus d'extræ nescie est primò quidem pellem marcescere, ac pilos defluere, unde morbus & mala constitutio pulmonum colligitur, & de-scenden-

scendendo ad inferiora, cùm cor (quod est Dominus sanguinis) sit infra pulmones, ideo pulsus deficientes secundi generis indicantes, malè affectum esse cor, indicant consequenter, sanguinem diminui, siccari, evacuari, unde sequitur marcor in quinque membris & sex intestinis; Et cùm etiam infra cor resideat stomachus, qui recipit quinque alimentorum spiritus (puta: tritici, orizæ, fabarum) per quos extrâ quidem carnes alit, intrâ verò membra & intestina: Ideo pulsus tertii generis deficientes damnum, quô fortè afficitur stomachus, indicant, & vel ex eo appetet, quòd nec cibus nec potus digerantur, unde necesse est carnem languere & marcescere.

Rursum cùm hepar (quod sanguinis est officina) sit infra circiter stomachum, ac illum sanguinem conserveret, ac cordi subministret, nervos item irriget, unguibusque tribuat vegetationem, ideo pulsus quarti generis deficientes malum, quod patitur hepar, manifestant, quod potissimum in nervis, qui remissi & laxati corpus totum pari modo afficiunt, videre est.

Denique cùm vesica inferior sit cæteris membris, & quinque membrorum ac sex intestinalium vias conservet suis spiritibus, fit, ut etiam ipsi capilli, ossa & medullæ per ejus viam vegetentur, adeoque quinti generis pulsus deficientes malum & damnum vesicæ produnt, quod ossa ipsa arefacta & marcida significant; Ex quo debilitas in corpore, & somni gravedo in ægroto oritur, qui è lecto se amplius erigere nequit.

Isti quinque generum pulsus deficientes quinque genera morborum indicant, & hoc descendendo à morbis superiorum membrorum ad inferiorum morbos; Puta à pulmonibus usque ad vesicam seu renes. Sed in excedentium pulsuum generibus contrarium accedit: Nam morbi inferiorum membrorum ascendunt ad superiorum membrorum morbos, puta à malo vesicæ usque ad malum pulmonum, ut suprà.

Textus:

Textus : Quâ ratione potissimum mederi poterimus quinque jam dictis generibus deficientium pulsuum ? Sanè hâc sequenti ratione: Si videoas primi generis deficientes pulsus indicare morbum pulmonum , spiritus pulmonum restaurabis ; Si secundi generis, indicare cordis morbum, motum spirituum & sanguinis attemperabis. Si tertii generis, morbum stomachi, medicina erit in potus & ciborum regulâ , frigida & tepida commiscendo. Si quarti generis hepatis morbum ostendentes, remissionem spirituum inducere oportebit. Si quinti generis, vesicæ morbum indicantes, augeas vesicæ qualitates, quibus ipsa perficitur. Atque hæc quidem est ratio medicandi dictis pulsibus.

Comment. Frigus & cibi frigidi laedunt pulmones, ideo morbo pulmonum mederi debes per restorationem spirituum, quibus dominantur. Nam per spiritus omnes pulsus perficiuntur, & ad naturalem statum reducuntur, unde etiam vigor pelli & pilis reddit. Porrò tristitia & sollicitudo ac multa cogitatio laedit cor, quod dominatur sanguini, ideo morbo cordis medicari oportet per reductionem motus harmonici sanguinis & spirituum: Sic enim fiet, ut venæ spiritibus & sanguine repleantur, & motum pulsuum naturalem continuare pergent.

Cibus & potus nimius, ac multa defatigatio laedit lienem & stomachum, hujus namque qualitates quatuor anni temperatibus tertio quoque mense magis apparent, & dominium suum in potum & cibos exercent; Hanc ob causam huic morbo stomachi mederi necesse est per ciborum ac potuum sapores, conformiter ad quatuor anni temporum frigidos vel tepidos spiritus, ut sic reductus ad suam temperiem possit alere carnes.

Ira & cholera nimia laedit hepar; Proinde hepatis morbis medicaberis, si dulcia comedas, v. gr. oryzam, quæ vino faciendo inservit, & ipsa dulcis est: Item bubulam & fructum

caò cù dictum , qui est similis prunis & cæteris hujusmodi ; Hepar enim naturam habet & qualitates celeres intensas & vehe- mentes . Verùm sapores ac præcipue dulcedo cùm sint ter- rei temperamenti , remissas habent virtutes , ideoque inten- sionem hepatis relaxant , quòd fit , ut nervi , quibus dominatur hepar , attemperentur . Diurna mōra aut sessio in locis humidis , nec non violenta contentio virium lādunt vesicam seu renes , vesica verò est fundamentum alimenti corporei . Morbis illis poteris mederi salis condimento , sic enim restaura- bis illius constitutionem & spiritus , per quos alit ossa & ossium medullas .

Et ista quidem est regula medendi quinque generib[us] de- ficientium pulsuum : Et ex hâc colligitur , quomodo proce- dendum sit in morbis , quos quinque genera excedentium in- dicant pulsuum .

Textus : Quidam pulsus habent unicâ exspiratione tres ictus , & totidem unicâ intropiratione ; Item : una exspiratione quatuor ictus , & unâ item intropiratione quatuor : item quin- que & quinque : item sex & sex ; Aliqui verò pulsus unâ exspira- tione unum iustum , & unâ intropiratione unum iustum ; Item duabus exspirationibus unum iustum , & duabus intropiratio- nibus unum iustum : item duabus exspirationibus & duabus intropirationibus unicum solum iustum .

Sed quomodo cognosces & distingues ex illis morbos ? Respondeo : Si pulsuum iustum duo exspirationis intervallo , & aliis duo intervallo intropirationis adveniant , utiq; nec magni nec parvi , vocabis eos pulsus æquales : Et si intervallo exspira- tione tres iustus , & intropirationis tres alias iustus advertas , jam est morbus incipiens . Quòd si iustum pulsuum priores sint magni , & posteriores sint parvi , scito , caput dolere , & oculos gravari & obscurari . Si autem priores pulsuum iustum sint par- vi , & posteriores magni , sciro , pectus esse oppletum , & spiritus seu respirationem esse angustum ..

Comment:

Comment: Si tempore unius integræ spirationis, (quæ extrapiratione & introspiratione constat) ictus pulsuum quatuor, nec adeo magni, nec adeo parvi, sed mediocres sunt, sanguum indicant hominem; Sed si hoc tempore sex ictus advertis, celer est pulsus, & morbi initium designat.

Si ictus priores pulsuum (puta in primo loco) sunt magni, & posteriores pulsus (puta in tertio loco) sunt parvi, (quia primus locus pulsuum cœlo est similis, & supremam partem à pectore ad caput regit,) ostendit capitum in cerebro dolorem, & oculorum, cum moventur, gravitatem & obscuritatem; Quod si pulsus seu ictus priores sunt parvi, & posteriores magni, hoc est, post locum primum pulsuum: Si in secundo loco, qui ad medium seu secundam regionem corporis spectat, (quæ homo dicitur) significant, pectus esse oppletum, & genua gravari, adeoque pedibus insidere tarditatem.

Textus: Intervallo unius exspirationis quatuor ictus, & introspirationis alii quatuor ictus magnum morbum indicant. Si pulsus sint exundantes & magni, molestiam & quietudinem ægri denunciant. At si sint profundi & subtile, intra ventriculum dolorem; Si etiam sint pulsus cerebro-acuti, læsionem à frigore; Si denique pulsus sint obtuso-rari percepti, humores intus esse multos frigidos judicandum.

Comment: Intervallo unius spirationis octo ictus ostendunt, malum invaluisse: Et siquidem exundantes sint & magni, morbus est in viâ triplicis caloris primig., nam ob multum calorem pulsus multi fiunt, & cor & pectus tristitiâ repleri, & molestiâ & quietudine ex frigore & calore exortâ indicant. Quod si autem pulsus sunt profundi & subtile, morbus est à viâ triplicis humidi radicalis, multum enim humidum, dominans frigido, ossium dolorem causatur & efficit, ut spiritus caloris primigenii lædantur ab extrinseco nimio calore. Denique si pulsus fuerint obtuso-rari, indicant, parum esse sanguinis, ac

nis, ac vaporum ex nimio frigore esse abundantiam, unde intra viscera murmur personat.

**Textus:** Percepti intervallo exspirationis quinque i<sup>c</sup>tus, & intrespirationis alii quinque i<sup>c</sup>tus, ægrum denunciant vehementer affligi; Porrò si sint profundi & subtile, & de nocte veniant, ac deinde nutantes & magni evadant, de die verò neque magni neque parvi appareant, quamvis sit morbus difficillimus, potest curari. Quòd si duntaxat sint parvi & magni, difficillimè curabis, nam pulsus illi subtile magni de die sunt multi.

**Comment:** Octo i<sup>c</sup>tuum pulsus vocatur separationis, novem i<sup>c</sup>tuum mortalis; Ista verba innuunt. Quòd si decem i<sup>c</sup>tuum sint pulsus tempore plenæ spirationis, ægrotum subjici sepulturæ, nam morbus difficillimus & molestissimus est: Et si pulsus sint profundi ac subtile, humidum valde auctum: Si natantes & magni, calorem valde auctum de die; Si nec magni, nec parvi, nec natantes, nec profundi, morbus, etsi difficilis & vehemens, potest curari; Quòd si pulsus inconstantes, hoc est: modò sint magni, modò parvi, modò celeres, modò tardi, certam mortem imminere, indicium est.

**Textus:** Percepti tempore exspirationis i<sup>c</sup>tus sex, & totidem tempore intrespirationis, indicant mortem; Si illi pulsuum i<sup>c</sup>tuus sint profundi, nocte mors contingit; Si sint natantes & magni, de die moriturum ægrum nunciant.

**Comment:** Unius spirationis intervallo duodecim i<sup>c</sup>tus nunciant, animam seu vitam abrumpi. Ratio hujus est: quia calor primig. omnino nimius est. Si pulsus deprehendantur profundi & subtile, & nox instet, sequitur, eâ ipsâ nocte mori ægrotum; Si verò sint magni & natantes, de die morietur, nam tum humidum radicale à calore primigenio separatur. Et hæc dicta sufficient de multis pulsibus seu excedentibus, nam quod sequitur, est de paucis seu deficientibus.

**Textus:** Intervallo exspirationis unus i<sup>c</sup>tuus, & intrespirationis

tionis alter ictus, est pulsus deficientis. Qui hunc habet, quamvis possit ambulare, non potest evadere, quin tandem in lectum incidat, quia sanguis & spiritus non sunt sufficientes.

Comment: Pulsuum deficientium genus, quod spatio unius spirationis integræ duos solum ictus habet, & aliud genus, quod spatio unius spirationis unicum tantum ictum habet, vocatur pulsuum corruptorum, quia videlicet membra & intestina habent malum exinanitionis, & amiserunt perfectionem, vigorem & alimentum, eò quod sanguis & spiritus non sufficiant.

Textus: Intervallo duarum exspirationum unus ictus, & aliarum duarum intropirationum alter unus ictus vocantur sine animâ, quia ejusmodi hominem mori necesse est; Et licet æger possit incedere, nomen obtinet vivi cadaveris.

Comment: Tempore spirationis integræ, quod fit unicus pulsus, anima ad calorem primigenium & corpus ad humidum radicale respicit, & calore etiam desinente, anima abit, æger autem, et si incedat & moveatur, vivum cadaver appellatur.

Textus: Primus locus pulsuum in manibus si habeat pulsum, & tertius locus pulsuum, si illo careat, hominem illum necesse est vomere; Quod si non vomat, omnino moritur. At si superior locus pulsu careat, & in tertio loco reperiatur, quamvis erit maxima difficultas & infirmi afflictio, non dampnum mortale ex se affert, quia homo habens pulsum in tertio loco constanter, similis est arbori, quæ habet radicem, ramos & folia; Quod si rami & folia exarescant, radix tamen remanet, unde cætera propagata sunt, Non est itaque de eo desperandum.

Comment: Si tertius locus caret pulsu, signum est, vitiō oppletionis laborare superiora, unde necesse est aut per vomitum oppletionem tollere, aut per spiritus inde progenitos suffocari interiora, ex quo mors. Porro in sinistræ manus tertio loco pulsus ad viam vesicæ pertinet, in dextræ tertio loco ad

viam portæ vitæ pertinet, ambo enim recondunt spiritus, cùm sint illorum locus & origo. Quare si primus locus in manibus careat omni pulsū, & tertio loco appareat, clarum est, originales spiritus perseverare & conservari ; Ideoque bene colligitur, nec dum mori, qui illos habet.

Colligitur primò : Quare tam primi generis deficientes pulsus (ut : cùm in intervallo integræ spirationis unicus tantùm pulsus fit) quām excedentes (ut: cùm in intervallo spirationis sex pulsus fiunt) vocantur aberrantes à viâ ordinariâ ? Quòd scilicet si tempore spirationis integræ contingat, spiritus & sanguinem in corpore humano promovere ad sex mensuras digitales, excedentes pulsus eodem tempore septem mensuras conficerent ; Unde sequitur, ut circuitum absolvant celerius & citius, adeoque quasi tertia pars (ob celeritatem pulsuum) temporis regularis supersit.

Contrà in deficientibus pulsibus tantundem retardare necesse est & deficere à tempore regulari, ex quo patet, tam hos quām illos à viâ aberrare ordinariâ. Idem cum proportione dicendum est de pulsibus tam deficientibus, quām excedentibus secundi, tertii, quarti & quinti generis discurrendo reperies, quos omnes deficere comperies à mensuris spirationum sani hominis ; Item revolutionis coelestis, item artificialis temporis in horologio aqueo : denique à cursu æquabili & spatio venarum in corpore humano suprà annotatis ; vel contrà excedere illas mensuras in excedentibus pulsibus.

Nunc unicum est persequendum obiter : an dictarum mensurarum pulsus præscripti in omni ætate & sexu reperiantur hominum, an videlicet in puer & adulto, pingui & macilento, procero & brevi, tardo & agili, mare & fœminâ mensura sit eadem pulsuum, vel saltem, an qualitas illorum pulsuum in illis sit diversa, & an aliquando pulsus sistant & interpolent, & quid illa quies seu interpolatio portendat ; Deniq; an pulsus

pulsus certo constans numero certa judicia temporum, mortis  
vel morborum dare possit?

### CAPUT DECIMUM QUINTUM.

*An relata mensura spirationum eadem sit in pueris  
& adultis, an qualitas pulsuum eadem sit in mare  
& foemina, macilento & pingui, procero & pusillo,  
tardo & agili, & an pulsus sistant, & in quam no-  
titiam temporis, morborum & mortis venire quis  
possit, ex illâ quiete ad certum numerum pulsuum?*

**T**extus: Puerorum triennium usque ad quintum an-  
num ætatis, exspirationis & integræ introspirationis  
tempore, necesse est diligenter considerare pulsum,  
nam si ictus dicto tempore sint octo, sani sunt, si no-  
vem, malum interius habent, si decem aut duodecim, morbus  
est difficilis, maximè verò, si sint ictus modò breves, modò  
longi, modò parvi, magni, non carent periculo mortis. &  
malum radicatum ostendunt.

Comment: Parvolorum pulsus omnino diversi sunt ab  
adultorum; Similiter: Si homo procerus habeat pulsum  
subtilem, & tenuis atque exilis magnum, latus pulsum ple-  
num, & tristis pulsum vacuum, excitatus remissum, & gravis  
ac tardus velocem, agrestis & grossus delicatum, delicatus  
grossum pulsum, brevis ac pusilli corporis longum, macilen-  
tus magnum, procerum corpus exundantem, & robustus te-  
nuem, pinguis parvum, aut æger laborans fluxu alvi vel  
sanguinis pulsum magnum, omnes isti pulsus ferè sunt præ-  
nuncii Mortis, aut morbum periculosissimum indicant. Quare  
exploraturus pulsum diligenter advertet animum, an homo  
sit altus, brevis, agilis, tardus &c. an pulsus respondeant nec  
ne in tribus pulsuum locis utriusque manus ingenitæ, cuiusq;  
conditionis seu complexionis.

An ve-

An verò maris & fœminæ pulsus obseruent eadem loca aut mensuram, quæstio esse possit? Respondent Sinenses Medicis, masculorum locum tertium utriusque manus *che* dictum semper habere debiliores pulsus, contrà in fœminis utriusque manus primi loci *cun* esse pulsus debiliores, & tertii loci robustiores. Quare (inquiunt) si reperias in viro, locum tertium *che* pulsus habere solidos, scias, illum hominem pulsum fœminæ habere, qui pulsus in viro est ex deficientibus; Si verò in fœminâ in *che* loco tertio pulsum debilem reperias, intellige, fœminam habere pulsum viri, qui pulsus sunt ex excedentibus, unde tam virum quam fœminam malè habere judicabis.

Textus: Pulsus sunt alii naturales seu ordinarii, alii sunt contra naturales seu extraordinarii. Maris & fœminæ pulsus quare sunt oppositi? Quia nimirum primus vir cœpit vivere ad principium horæ *ym* (Est tertia & quarta post medium noctem) quæ hora pertinet ad *yam* calorem primigenium, & prima fœmina cœpit vivere horâ *Xin* (est tertia & quarta post meridiem) quæ spectat ad humidum radicale, ideo viri pulsus primus seu principalis est infra locum secundum, ex quo fit, ut pulsus in tertio loco *che* in viro sint debiles, & in fœminâ sint solidi ordinariè loquendo; Nam si contrà evenit, vir assequitur pulsum mulieris, & mulier viri.

Comment: Pulsus vel pertinent ad humidum radicale, vel calorem primigenium, vel sunt in viis naturales, vel præternaturales. Fœminæ & viro sunt propriæ suæ complexiones, quare? Quia (per Sinenses) vir, qui primùm in rerum naturâ apparuit, horâ *ym* creditur exstisſe, cui calor primigenius dominatur, & qualitatem validiorem habet; Fœmina verò hora *Xin*, cui dominatur humidum radicale, cujus qualitas debilior est; Jam verò tres viæ caloris primigenii à primo loco, & tres viæ humidi radicalis à tertio loco motum suum ordiuntur, ideo fit, ut pulsus in viro in loco primo fortiores sint, & pulsus in fœminâ in tertio loco, & contrà in tertio loco debiliores

biliores sint in viro , & in fœminâ fortiores sint, quàm in primo, præter alias multas rationes, quas afferunt Sinenses.

Textus : Morbus quomodo homini accidit ? Si nimurum vir habet pulsus fœminæ ( qui sunt deficientes ) indicant, morbum esse interius ; Ad dextram quidem, si pulsus sit ad dextram ad sinistram autem, si pulsus sit ad sinistram. At si fœmina habeat viri pulsus ( qui sunt excedentes ) morbus est in membris, & si pulsus sunt ad dextram, vel sinistram, morbus similis erit.

Kipeus Author inquit : Pulsus, qui non observant, sed destruunt quatuor anni tempestatum qualitates, sunt vel deficientes, vel excedentes : Loquendo de deficientibus, oriuntur illi ex eo, quòd parùm sit humidi radicalis, quod ossibus dominatur, & facit illa replendo gravia, pulsus ejusmodi sunt summè deficientes. Quòd si quem advertas bibere & comedere parùm, & semper minus ac minus, scito, corpus marcescere, & quodammodo imminui. Pulsus, qui hoc indicant, vocantur deficientes à fine intento. Si verò videris hominem dormiturire & quiescere, nec tamen egerere, & oculos aut aures non rectè suo officio fungi, pulsus id indicantes, vocantur deficientis corporis pulsus. Si deinde advertas, exspirationem & introspirationem non sibi mutuò respondere, item quinque colores incorpore vigorem deperdere, pulsus, qui tunc reperiuntur, vocantur animæ deficientis. Denique, si quatuor partium corporis ( puta : pedum duorum, & totidem manuum, quæquæ illis annexa sunt ) pulsus videas perturbatos, sunt & dicuntur illi pulsus spirituum deficientium.

Præter hos sunt alii pulsus summè deficientes spatio tringinta annorum, hoc est, qui non nisi trigesimo anno vitam ablatum iri indicant ; Alii pulsus medio modo deficientes, spatio viginti annorum, hoc est, qui indicant, vigesimo anno ætatis vitam finitum iri ; Alii pulsus minimè seu admodum parùm deficientes spatio decem annorum, hoc est, qui decimo anno vitam abruptum iri indicant. Hos pulsus relatos scito repe-

riri vere, æstate, autumno & hyeme. Quare si sanus homo sit corpore procero, & habeat pulsum brevem, scito illius pulsus esse primi generis, qui multum deficiunt.

Si autem homo sit brevis staturæ, & pulsus habeat longos, scito, illius pulsus esse secundi generis, qui minus deficiunt, & vitam promittunt minoris temporis seu medii, viginti scilicet annorum. Si ille pedes & manus habeat exiles, illius pulsus dicens sunt tertii generis, qui admodum parum deficiunt, peregrinari temporis annorum, scilicet decem, vitam pollicentur. Quod si advertas, aliquem deficere in spiratione ac spirituum perfectione, intellige, illum diu vivere non posse ordinariè.

Si in Maris sinistrâ manu pulsus tuon breves, & in dextrâ chlam longi sint, indicant, esse pulsus caloris primigenii deficientis, & vitam solum medii anni promittunt. Si in fœminæ dextrâ pulsus sint breves, & in sinistrâ longi, indicant, esse pulsus humidi radicalis deficientis, & solum vitam semestrem fœminis promittentis.

Præter enumeratos pulsus deficientes sunt alii, de quibus infrà, ubi de mutatione quatuor anni tempestatum dicetur fusiùs, ut cum v. gr. verni pulsus temporis, qui est in loco hepatis viæ, (hoc est, in secundo punto sinistre manus) stomachi viæ pulsus obtinet, vocatur stomachi deficiens pulsus; Et cum æstate pulsus cordis in primo loco sinistre esse debeat, si ibi viæ vesicæ vel pulmonum pulsus apparent, vocantur pulsus deficientes vesicæ vel pulmonum. Si in autumno in loco primo dextræ debent videri pulsus pulmonum, quod si apparent hepatis vel cordis, vocantur pulsus deficientes hepatis vel cordis. In hyeme, si pulsus viæ vesicæ aut renum in loco tertio sinistre manus contenti apparent, contrà, si cordis vel stomachi viarum ibi pulsus appareant, appellantur cordis vel stomachi deficientes. Quæ omnia oportet diligenter animadvertere, an videlicet primo loco cum keu sint pulsus interrupti, an verò post: Quia si in primo loco nullus

nullus sit pulsus, & in tertio sint instar tensæ chordæ, pulsus illi habent adhuc stomachi spiritus; At si loca superiora & inferiora nullos habeant pulsus, mortem indicant; Si illa vel hæc non omnino pulsibus careant, viventem adhuc hominem indicant.

*Atq; isti sunt deficientes pulsus.*

Excedentium pulsuum sunt indicia, cùm quis vocis sonum habeat valde profundum, & aspiciendo res non adeo remotas, turbata omnia & confusa, quasi unum quid esset; Vocantur hi pulsus excedentes seu deficientis animi. Et si corpus sit obesum & magnum, & cibi potûsque multum absumat, pulsus, qui tamē reperiuntur, sunt multa sollicitè meditantis, excedentes vocantur, & si aliena loquuntur, & non solum pedibus, sed & manibus videntur ambulare, deficientis corporis pulsus excedentes vocantur. Et si habent colorem herbarum, pulsus excedentes, qui tum sunt, animæ deficientis vocantur. Si videoas exiles aut parvos pulsus, & expirationem ac intropirationem non sibi respondentes, vel magnam, intelligitur, illos pulsus esse ex excedentibus. Atque hæc sunt indicia illorum ab Imperatore Hoâmti Medicorum antiquissimo Posteris tradita.

Sed de interpolatione pulsuum prognostica inquiramus.

Textus: Cujus pulsus semel dat ictum, & alterâ sistit vice, ille alterâ die moritur.

Comment: Alius liber habet: post unum diem moritur.

Textus: Pulsus duorum ictuum, & post hoc semel sistens ac interruptus, tertâ die mortem denunciat.

Pulsus dans tres ictus, & postea sistens, quarti diei mortem & interdum quinti.

Dans quatuor ictus, & postea semel sistens, sextâ die mortem denunciat.

Dans quinque i<sup>c</sup>tus, & p<sup>o</sup>st semel sistens, quintâ die & interdum septimâ mortem.

Pulsus dans sex i<sup>c</sup>tus, & dein sistens, octavâ die mortem.

Dans septem i<sup>c</sup>tus, ac dein sistens, nonâ die.

Dans octo i<sup>c</sup>tus, ac dein sistens, decimâ die mortem.

Pulsus dans novem i<sup>c</sup>tus, & dein sistens, decimâ die, & interdum undecimâ die mortem indicat.

Comment: Alius liber habet, etiam decimâ tertiatâ die mortem, & quidem principio veris denunciat.

Pulsus dans decem i<sup>c</sup>tus, & postea sistens, principio æstatis mortem denunciat.

(Comment: Liber alius habet: principio veris moritur.)

Pulsus dans undecim i<sup>c</sup>tus, & postea sistens, in solstitio æstivo moritur.

(Comment: Liber alius habet: initio æstatis, & aliis: initio autumni.)

Pulsus duodecim vel tredecim dans i<sup>c</sup>tus, & postea sistens, initio autumni moritur.

(Comment: Alius liber habet: initio hyemis)

Pulsus quatuordecim vel quindecim i<sup>c</sup>tus dans, & postea semel sistens, initio hyemis moritur.

(Comment: Unus liber habet: initio æstatis proximæ)

Pulsus viginti i<sup>c</sup>tus dans, & postea sistens, post unum annum mortem indicat, quæ accidit initio autumni.

Pulsus viginti & unius i<sup>c</sup>tuum, & post hoc sistens, post duos annos mortem indicat.

Pulsus viginti quinque i<sup>c</sup>tuum & postea sistens, initio hyemis moritur. (Comment: Alius liber habet: Post unum annum moritur, & interdum post duos.)

Pulsus triginta i<sup>c</sup>tuum, & p<sup>o</sup>st semel sistens, post duos annos & interdum post tres moritur.

Pulsus triginta quinque i<sup>c</sup>tuum semel sistens post tertium annum moritur.

Pulsus

Pulsus quadraginta ictuum semel sistens, post quartum annum moritur.

Pulsus quinquaginta ictuum semel sistens, post quintum annum moritur.

Pulsus venientes & abeuntes sine interpolatione, quiete & statu, sic ut non interrumpant, quinquaginta ictus, ostendunt, omnia membra & intestina habere spiritus, & propterea carere morbo.

Comment: *Sien kiñ fan* liber sic dictus, inquit: Quinq; Elementorum Spiritus absoluti humidi radic: & caloris primig. numeros complent, simul etiam manifestant, permeare sanguinem & spiritus ingredientes & egredientes motu suo per vias pulsuum, & percurrere illas intervallo noctis ac diei.

Pulsus quadraginta vicibus veniens, & postea semel sistens, ostendit, unum membrum destitui spiritibus, adeoque mortem post quartum annum obventuram, tempore illo veris, quo herbæ nascuntur.

Pulsus triginta vicibus veniens, & postea semel sistens, ostendit, duo membra esse sine spiritibus, ideoque mortem obventuram post tres annos, eo tempore, quo triticum maturescit.

Pulsus viginti vicibus veniens, & postea semel sistens, ostendit, tria membra esse sine spiritibus, adeoque futuram mortem post biennium, quo tempore mori arboris fructus maturescunt & rubescunt.

Pulsus veniens decem vicibus, & deinde semel sistens, ostendit, quatuor membra carere spiritibus, & futuram mortem intra medii anni spatiū. Et si evadit, cùm advenit tempus *ci in mi in* quod significat tempus mutationes perfectio-  
ris claritatis, & est tempus circa secundam lunam, (incipien-  
do annum Sinicum à primâ lunâ, quæ est circa initium Februa-  
rii) moritur. Et si etiam hoc tempus evadit, mors differri  
diutius multò non poterit, nam tempore sequenti mutationis

*kō yn dicto*, quod significat segetum pluviam, & est circa tertiam lunam.

Pulsus iētibus quinque veniens, & deinde subsistens, indicat, quinque membra sine spiritibus, & ideo mortem futuram post quinque dies.

Porrò, si videris, unius pulsus iētum diu hærere & morari, scito, fortē morbum esse in corde, & medium illius occupare. Si duorum pulsuum duos iētus similiter hærere, & moram trahere, scito, morbum esse in hepate, & illius extrema occupare. Si advertas, tres pulsuum iētus diutius hærere, scito, morbum esse in stomacho, & in illius infimae partis medio residere. Si quatuor pulsuum iētus diutius morari sentias, scito, morbum esse in vesicā seu renibus. Si quinque pulsuum iētus percipias diutiūs morari, scito, morbum esse in pulmonum extremitatibus.

Hos quinque proximè memoratos pulsus si habeat æger corpore delicatus vel obesus, mori illum necesse est, & nulla medicina ei prodest. Si sit æger corpore moderatè pleno, possunt dictorum pulsuum attemperari spiritus.

Colligitur primò ex hoc & præcedentibus capitibus, quæ mensura temporis sit ad pulsus necessaria, & quare illam adeo sollicitè Sinenses obseruent. Adverte autem diligentissimè, per pulsus, quos reperies in tertio loco, sive naturales illi sint, sive præternaturales, statum tertiae regionis corporis indicare, quos verò invenies in primo loco *cum keu*, statum supremæ regionis corporis, & quos invenies in medio seu secundo pulsuum loco, statum mediæ regionis corporis : In quo medio loco, si pulsus sint spectantes ad calorem primig., manifestant ab umbilico ad caput primam regionem corporis ; Si verò sint pulsus ad humidum radic. spectantes, manifestant ab umbilico ad pedes statum infimæ partis corporis. Cùm verò accidit in primo loco nulos reperiri pulsus, ideo fit, quòd pulsus tertii loci non procedant ad medium locum, quia humidi ra-

dum radic. destruitur & deficit , quoniam destructo humido radicali & exiguo apparente calore primig. mortem sequi necesse est. Collige hinc, tria loca pulsuum, sive habeant aliquos pulsus, sive nulos, indicare frigus stomachi, quod est in causâ, quare pulsus minus perveniant ac pulsent. Idcirco primus locus *cun kēū* habens pulsum, & tertius eo carens, indicat, hominem omnino vomitum, & si non vomat, moritum. Si primus locus sit sine pulsu, & tertius habeat pulsum, licet sit difficilis curatu morbus, spem vitae facit, sicut radix, quæ arefactis ramis adhuc viget ipsa, & fructus olim spondet. Et si percepto, qui solet esse pulsus sani hominis, accidat tamen, eundem mori, inde fit, quod via spirituum repleantur in vesicâ seu renibus, nec non in portâ vitae, & omnino intercipiantur.

Colligitur secundò, ex quo sit vitae causa, & ubi resideat, & quomodo per corpus propagetur, ac per pulsus perfectio illius ac defectus cognoscantur. Cum verò jam pulsuum loca assignaverimus, & motus (qui est causâ illorum) ostenderimus tam mobile quam mensuram, in qua ille motus incipit & desinit, restat, ut de pulsibus ipsis eorumque qualitate agamus, proinde pulsuum genera, quæcunque à Sinensis proferuntur, adducemus & definiemus, ac etiam ad ipsam imaginatem imaginibus, quas illi adhibent, exprimemus, sicut in veteribus & neotericis reperimus; Tum verò pulsus ordinarios seu naturales sex (trium locorum in dextrâ & trium locorum in sinistrâ) hoc est: sex vitae fontium (membrorum videlicet & intestinorum) describemus, ac postea, an semper iidem pulsus connaturales perseverent, an verò pro vicissitudine qualitatum quatuor anni tempestatum mutentur, perquiremus, & irrepentes vitiosos pulsus ac contra naturales per quatuor anni tempestates aperiemus; Item, quomodo ex pulsibus omnium morborum symptomata cognosci & prædicti possint, atque etiam ex coloribus, vocis sono, appetitu, somniis atque aliis

aliis signis ea colligant Sinenses, docebimus, & si tempus super sit, de morbis, febribus, ac morte ipsa agemus, ac praxin omnium annotabimus; Ad extremum de ratione medendi usitata à Sinis proferemus.

### CAPUT DECIMUM SEXTUM.

*Pulsuum genera, quæ à Sinensibus assignantur, descripta etiam in imaginibus; Item: Quæ Elementa & quatuor anni tempora dominantur illis, nec non cuius membra vel intestini naturam sortiuntur.*

**O**stendimus suprà, calorem primigenium & humidum radicale congruè & aptè unita vitam tribuere, & eam in totum corpus diffundere, operâ motū sanguinis & spirituum, ex quo motu pulsus exorti indicant vitæ in locis manuum assignatis vel bonam vel malam constitutionem. Hoc positō, cùm de pulsibus agere instituamus, illos habere naturam motū & mobilium, à quibus sunt, necesse est declarare. Quare cùm motus sit triplex secundū triplicem viam caloris primig., & iterum alijs triplex secundū triplicem viam humidi radic., sequitur, pulsus sive ex hoc sive ex illo motu exortos, tam connaturales quam præternaturales quosdam spectare ad calorem primigenium, & quosdam ad humidum radicale; Item, cùm illæ duæ qualitates diversimode in diversis originibus Elementa & eorum virtutes includant, pulsus quoque diversos ad diversa Elementa spectare. Denique, cùm in viis exoriantur, vel in vias irrepant, etiam naturam originum habere illarum debent, quarum virtutes magis participant.

Nunc primò pulsuum omnium descriptionem (quam alibi expressam suis imaginibus reperies) an scilicet ad yām vel iñ pertineant, cujus item Elementi & consequenter originis (membri

(membri inquam & intestini) naturam habeant, & nomen proponemus. Quomodo autem ex pulsibus singulis in locis sex pulsuum deprehensis divinare quis queat morbos, symptoma & affectiones cujusque partis, infrà dicemus.

Pulsuum genera vulgo recepta sunt hæc: *Mē ciē piāo* septem, quæ ad extra sunt, & *me chum pā oēto*, quæ ad intra sunt; Deinde *kieū tao mē*, novem viarum pulsus; Postea sunt pulsus octo, *kī kiñ pā mē* extraordinariarum viarum; Denique sunt pulsus *quay mē* monstrosi sedecim, qui omnes sunt mortales.

Septem pulsuum, qui extrà apparent, & ad *yām* calorem primig. pertinent, descriptio.

1. *Feū*: pulsus natans in superficie ad *yām* spectat. Ictus, quem digitus explorando percipit, deorsum deficere videtur, & ad superficiem superabundare, quem si iterum atque iterum explores, videbitur esse quasi *tāi quo* pulsus multūm excedens.

Comment: Quod videatur hic pulsus deorsum deficere, provenit ab *in* humido radicali; Quod verò elevatus habeat excessum, provenit ab *yām* calore primig. multūm excedente. Antiquissimus liber hunc pulsum describit: Pulsus *feū* facit ejusmodi planè motum, qualem efficit folium ceparum, cùm depresso se sursum reducit.

Subjicitur Elemento Synico *kiñ* metallorum.

In morbis repertus indicat pulmonum ventum.

2. *Keū* pulsus ad *yām* pertinet, digitis explorans iustum natantem, & magis reperit in utroque extremo, sed in medio ruptum & vacuum, unde hic pulsus non est integer.

Comment: Ignis caloris primig. pulsus intendit, & natare facit, qui, cùm sit natans, quia sine viribus in medio est vacuus, & in duobus extremis plenus.

Antiquissimus liber inquit: *Keū* pulsus habet duo capita, sed in medio illorum est vacuus.

Subjicitur Elemento ignis, repertus in morbis, sanguinis multitudinem atque evacuationem significat.

3. *Hiē* acuto - creber, pertinet ad *yām*. Digitus explorans illum in tribus locis manuum invenit. - Ejusmodi videtur esse tactus, cuiusmodi fit à gemmā rotundā decurrente, & si iterum palpas locum, cadens ictus esse videtur, & qui nec ingreditur nec egreditur.

Comment: *Hiē* pulsus habet caloris primig. aquam qualitatem. Antiquissimus liber, *hiē*, inquit, pulsus videtur esse similis motui gemmæ, quæ accedit & recedit, & in fine acuta est vel pungens. Subjicitur Elemento aquæ; Repertus in morbis indicat vomitum, cui ventus contrariatur.

4. *Xō*: Plenus & solidus pulsus pertinet ad *yām*; Ictum illius digitii inveniunt integrum, qui cùm elevatur, habet excessum.

Comment: Pulsus plenus est ignis caloris primig. Idem liber ait: Plenus pulsus in medio videtur natare.

Alius liber antiquus ait: Pulsus plenus idem est cum longo. Subjicitur ignis Elemento, repertus in morbis significat, cordis calorem suffocari.

5. *Hiēn*. Est pulsus chordæ extensæ, pertinet ad *yām*. Qui illum explorat, deorsum non sufficere, sed elevatum excedere percipit.

Similis est arcus intensi ieiui, interdum est frequens liber antiquus idem dicit.

Subjicitur Elemento Sinico arborum seu aëri, repertus in morbis, indicat oculorum dolorem & nervorum defatigationem.

6. *Kiū*, vehemens, intensus & validus, pertinet ad *yām*. Digitus explorans in tribus manuum locis excedere illum intelligit, & cùm elevatur, valde celerem. Assimilatur torrentis cursui intenso.

Liber ait: *Kiū* pulsus vocatur tensæ chordæ similis; Subjicitur

citur Elemento arborum seu aëris, repertus in morbis indicat, dominari ventum, & ex eo exortum dolorem.

7. *Kum exundans*, pertinet ad *yīm*. Qui illum explorat, infrà esse valde magnum, & cùm elevatur, excedere percipit.

Liber habet: Cùm elevatur, excedit, & valde magnus est. Subjicitur Elemento ignis. In morbis repertus significat, dominari calorem & capitum dolorem.

Octo pulsuum genera, qui ad intrà sunt, & pertinent ad *iñ* humidum radicale.

1. *Vī* pulsus parvus, pertinet ad *iñ*. Est ictus, qui cùm quæritur, accedit & abscedit valde exiguis, iterum verò atque iterum perquisitus modò videtur esse, modò non esse.

Comment: Pulsus parvi regula est: Ille ictus, qui in autumno & hyeme solet esse, oritur ab humido radicali.

Liber antiquus idem ait: Pulsus parvus subtilis est, prorsus ac si quis filum sericum palpet. Subjicitur Elemento terra; In morbis repertus grossum sanguinem significat & corruptum, & ideo defluenter, etiam tristitiam ob excessum humidi & defectum caloris.

2. *Xīn* profundus ad *iñ* pertinet. Ictus cùm quæritur, deorsum videtur percipi, sed ubi elevatur, absolutè non apparet; Remissus pervadit tria loca pulsuum, & instar mollis gossypii percipitur.

Comment: Pulsus profundus est ab aquo humido radicali, contingit nervos, innititur ossibus, nascitur propriè ex spiritibus humidi radicalis deficientibus & contrariis, & excludit spiritus caloris primigenii.

Liber idem ait: Profundus pulsus tactum afficit planè instar gossypii mollis, invenitur proximè ad ossa, subjicitur aquæ Elemento, in morbis significat copiam spirituum frigidorum.

3. *Huōn*, id est remissus, pertinet ad *iñ*. Ictus ad digitum cùm accedit & recedit, tardus & lentus est, & pulsus ex non magno & tardo componitur, vocaturque remissus.

Comment: Est à magno calore, cùm ventus lèdit motum sanguinis & spirituum, qui adeò se non possunt mutuò pervadere.

Liber ait: Pulsus remissus est, cùm parvus & tardus accedit & abscedit paulatim. Subjicitur Elemento terræ. In morbis repertus indicat stomachi calorem & putridum teporem.

4. *Ci*, obtuso-rarus, pertinet ad *m*. Exploranti digito adesse videtur infrà, sed ubi elevatur, non percipitur, in principio vacuus, in fine plenus, qui mox etiam dissipatur, & ob subtilitatem difficulter reperitur.

Comment: Est talis eò, quòd sanguis sèpius est lèsus.

Liber ait: *Ci* pulsus similis esse videtur, cùm quis cultro superficiem corticum cannæ seu arundinis sèpius radit. Subjicitur Elemento metallorum. In morbis significat, ab humido radicali sanguinem corrumpi, & in prægnante proximum partum, & si non gerat uterum, corrumpi in illo sanguinem.

5. *Ch*, tardus pertinet ad *m*. Digitus non nisi fortiter applicitus ad manum reperit illum, nam est occultior.

Comment: Oritur id ex eo, quòd caloris abundantia sic debilitata, unde motus spirituum & sanguinis condensatus & quasi congelatus videtur esse. Ideo pulsus tardus dicitur, ut pote qui intervallo unius spirationis tres iectus tantùm habet.

Liber idem habet.

Subjicitur Elemento terræ; Repertus in morbis significat à frigore generatos spiritus aut aérem.

6. *Siu*: mollis, natans, subtilissimus, lenissimus & debilissimus; Manus illum percipiens planè si tangeretur à gossypio intra aquam.

Pertinet ad *m*. Sèpius accedit absceditque, & explorantem repente fallit.

Liber ait: Cùm invenitur, statim abire percipitur. Subjicitur aquæ Elemento.

In mor-

In morbis inferiorem partem corporis frigidam valde indicat.

7. *Fo* cadens pulsus, pertinet ad *iñ*, videtur percipi, sed unius spirationis intervallo vix apparet, iterum ac iterum inquisitus se prodit, nec elongatur à tribus locis pulsuum.

Comment: Non nisi diligenter perquisitum invenies; Illius extreum seu finis non est longè à locis pulsuum *cūn quan chē*.

Liber ait: Est ictus ad instar demersæ rei, & mox emergentis, ad ossium fortē attactum interdum se prodit, non habet imaginem, sed literam dictam *miē*, quod significat quære.

Subjicitur Elemento arborum vel aëris. In morbis significat venenosorum spirituum conjunctionem & copiam.

8. *Jō* debilis seu fragilis pulsus, pertinet ad *iñ*. Digitus afficitur ab illo, sicut à lanā vel gossypio, & levissimo attactu percipitur, sed validâ & forti impressione factâ evanescit.

Comment: Ad pellem & carnem apparet mollissimus, idem ait liber. Subjicitur Elemento metallorum. In morbis significat ventum cum spiritibus colligatum.

Adverte 1. Pulsus *hieu* & *kin* extense chordæ & intensæ: *Vi* & *jō* parvum & debilem: *hiē* & *siū* crebrum & molliter nantem: *feu* & *kūm* natantem & exundantem: *chi* & *ci* tardum & rarum: *chin* & *fō* profundum & cadentem videri simillimos, & planè eosdem, ac propterea morbos similes, sed tandem omnino alios indicare. Porrò pulsus *feu* & *chin* natans & profundus: *kūm* & *ci* exundans seu grossus & subtilis: *hien* & *huen* intensus ac remissus; *siū* & *chi* frequens seu concitans & tardus: *xe* & *hiu* plenus & vacuus: *ham* & *tuon* longus & brevis: *hie* & *ci* creber & rarus: *hien* & *vi* chordæ extensæ, seu magnus & parvus, sunt omnino contrarii & inter se oppositi pulsus, & contrarios indicant morbos.

Adverte 2. Septem pulsus ad extra, qui pertinent ad *yām*, plerosque percipi in locis pulsuum manus sinistræ, quia nimis

rum ibi in locum connaturalium pulsuum plerique ex illis instar hospitum subintrant, & hoc pro mutationibus corporis humani, quæ sunt hujusmodi pulsuum cause. Porro octo pulsus ad intrâ, qui pertinent ad iñ, plerique solent percipi in manus dextræ locis pulsuum, & hoc, quia ibidem in locum connaturalem pulsuum simili modò irrepunt pro mutationibus corporis, ut suprà. Manus sinistram tria loca pulsuum cuñ quañ chē mutationem pulsuum, quæ illis accidit, habent, & dicuntur vel ueñ tepidi, vel fūm venti, vel hañ frigidi, quæ tria causant morbum ad extrâ; Ad manus dextræ alia tria loca mutationes pulsuum habent ex dominio cōd adustarum qualitatum, Xe humidarum, Xu magni aestus; Hæc enim tria causant morbos ad intra. Id verò nota per quām diligenter, ut intelligas qualitatem morborum; Nam prout sunt mutationes, pulsus interdum videntur in dextram manum ex septem exterioribus irrepere, interdum in sinistram ex interioribus. Aliquando humidum radicale & calor primigenius se invadunt & opprimunt, (quod ex pulsibus, qui illorum habent naturam, cognoscitur, interdum se in vicem suffocant & demergunt, aliquando unus pulsus, seu potius locus unius pulsus, decem varias mutationes subit. Evidet cum ratio pulsuum sit subtilissima, breviter hic describi non potest. Verum, quod maximè notare oportet, quod videlicet omnes pulsus vel yām vel iñ naturam habent & quinque Elementorum qualitates; Cum verò septem pulsus & octo faciant 15. Elementa autem sint quinque, sequitur, cuilibet Elemento attribui tres pulsus. Sic pulsus feu ci natans obtusorarus debilis habent naturam Elementi metallorum, & sic de reliquis suprà dictis collige.

Hinc quoque colliges, singulos relatos pulsus irrepen-tes in sex loca pulsuum habere suam gravitatem aut levitatem, prout Elementa, quorum naturam sequuntur, sunt gravia vel levia, aut secundum quod occupant in locis pulsuum superiorem

periorem vel inferiorem locum. Quod verò attinet ad ipsa quinque Elementa, ipsa etiam subinde habent & observant inter se æqualitatem, & subinde patiuntur inæqualitatem, quod in morbis adverti facilè potest. Solet quoque dici, quòd illa, quæ intrà sunt, se ipsa lèdant, non sibi faciunt malum, verùm ea, quæ extrà se mutuò commovent, quæ duo si nescias, distinguere cœli videlicet & terræ medium, & sex spirituum motus, (corpus enim hominis est instar parvi cœli & terræ) multūm aberrare poteris.

Malum ad extrà irrepens & commovens sequitur malignam naturam, v. g. ventus & humidum radicale ad extrà commoventes indicant, Elementum arborum & ignis (puta, hepar & cor) excessum pati, nimirum, ac terram & metallæ (puta stomachum & pulmones) deficere; Ex quo patet, quòd aqua (puta, vesica) non sit sufficiens hæc conciliare aut restaurare. Et hoc est, quod suprà dixi, quòd malum extrà adveniens & movens, v. gr. ignis, hoc est, cor, facit alia Elementa, hoc est, membra suam perdere qualitatem. Dixi etiam, ea, quæ sunt ad intrà, se lèdere, hoc est, eadem quinque Elementa, hoc est membra, ex se ipsis sibi non posse restituere æqualitatem. Idcirco operæ pretium est, ut bene percipias Metallorum, Aquæ, Arborum seu Aëris, Ignis ac Terræ naturam & qualitates, (hoc est, membrorum, quæ naturam illorum participant) tum verò examines, quæ vacua & exhausta sunt, & quæ plena & redundantia. Præterea malum latrociniï irrepens, & malum exiguitatis, & malum, quod à se ipso venit, quæ infra explicabimus.

Adde operæ pretium esse, singulorum locorum qui in manibus sunt, distinguere fœnchum xin superficie, mediis & profundi loca & pulsus illic diligenter perscrutari, an congruant & convenient cum naturâ locorum, hoc est: an illæ viæ, quæ dictis locis pulsuum sunt assignatae, cum pulsuum (qui aliunde velut hospites adveniunt vel irrepunt) naturâ & qualitatibus

litatibus convenient; Nam si non correspondeant, scias, illos esse advenas & hospites, ut ipsi loquuntur, & præternaturales. Quod si hoc bene perspexeris, facile erit cognoscere, quæ sint illa, quæ intrâ lœdunt, & quæ illa, quæ extrâ moventur, qui morbi sint extrâ apparentes foliorum instar, & qui intrâ extorti sicut radices.

Adverte 3. Medicos primò assignasse pulsus septem ad extrâ, & octo ad intrâ, qui omnes sunt quindecim, eò quod ex illis membrorum & intestinorum status, vita & mors satis colligi possit. Verum, cùm animadvertisse, per annum regnare quoque alios pulsus (nam uti cœlum habet viginti quatuor mutationes aëris, ita esse in corpore humano, in quod cœlum plurimum influit) pulsus viginti quatuor diversos invenerunt, seu novem vias pulsum illis quindecim addidere; Sed crediderim, hos novos pulsus qualitates superaddere relatis potius, quam novos constituere pulsus.

Novem viarum pulsus kièn tao inè dicit.

Primus: *Cham* id est longus, pertinet ad *yam*; *Ictus* in tribus locis pulsuum instar lanceæ vibratæ, cùm elevatur, habet excessum. Vocatur longus etiam, cùm propriò loco egreditur; *Liber* antiquissimus idem habet. Oritur à viâ magnorum intestinorum, in morbis æstuans corpus & perturbatum indicat.

Secundus: *tuon* brevis, pertinet ad *iñ*, est deficiens, nec pertingens ad proprium locum. *Liber* ait: Non attingit ad medium digiti. Est à viâ stomachi. In morbis manus pedesque sudare, & cibos non digeri significat. Assimilatur motui grani oryzæ.

Tertius: *hiu* vacuus, ad *iñ* pertinet. *Ictus* non est sufficiens, & cùm elevatur, non pertingit.

Comment: Non est plenus ex exinanitione sanguinis.

*Liber* habet antiquus: Quæsusit etiam, cùm elevatur, est deficiens. Oritur à viâ cordis, similis est serici fili globo. In morbis

morbis significat timorem, vires exiguae & difficilem spirationem.

Quartus: *sú celer & non latus, seu arcto-celes, pertinet ad yám.* Ictus illius est velox, & sedem habet in primo loco cum keu, ubi si augeatur, mortem, si introrsum se colligat & quasi recondat, vitam promittit.

Comment: Pulsus creberrimè veniens, & interdum semel sistens, ac iterum veniens; vocatur celer. Oritur à calore naturali, qui est à viâ vesicæ seu renum. In morbis indicat yám & in perturbata.

Quintus: *Kiē alligatus seu interruptus, pertinet ad in.* Ictus interdum est veniens, interdum abiens & rediens.

Comment: Pulsus est creber, & quasi cumulatim veniens, & postea sistens ac rediens.

Liber inquit: Pulsus cum venit latus, sistens & rediens, vocatur *kiē;* Oritur à viâ pulmonum. In morbis indicat in stomacho, latere, spiritus aggregatos, & tristitiam ac defatigationem.

Sextus: *tai:* vicarius; dicitur etiam mortis pulsus & intercidens, pertinet ad in, movetur, & redeundo elevare se nititur iterum atque iterum, & nequit se elevare. Componitur ex reditu & statu seu quiete. Explorans illum, aliquo tempore advertit violenter se elevare.

Liber ait: Pulsus hic veniens in medio sistit, nec redire potest; Oritur ab animâ & corpore. In morbis indicat spiritus dissipari, membra & intestina destrui, mortem advenire.

Septimus: *Kien,* id est, trahens pulsus, ad in pertinet. Si explores tantum more solito, non percipies, percipies autem, si appresso fortius digitò eum quæsieris.

Liber ait: Si quæratur, plenus non reperitur, nisi valde premas.

Comment: Durior & profundior est, & habet vires, nec  
Dec. II. Annus IV.

mutatur. Oritur à viâ hepatis. In morbis dolorem ossium & spirituum sursum evagationem indicat.

Octavus: *tum*, motus: Pulsus motûs pertinet ad *in*. Videtur à dîgo deprehendi, verùm cùm elevari deberet, evanescit, iterum ac iterum quæsitus reperitur, nec longè est à suo loco.

Comment: Neque accedens nec abscedens vocatur pulsus motûs. Videtur hic pulsus, cùm nec veniat nec abeat, sed sit continuus, quasi motus citissimus, qui tamen propter ipsam celeritatem, quâ circumagit, videtur non moveri, estq;ue instar montis quiescentis. Vocatur hic pulsus, cùm nec veniat, nec abeat, sed sit continuus quasi, ut ipsi loquuntur, orbicularis.

Liber ait: Si intra aquam lapidem molarem projicias, mortui ab ipso facto in aquâ quiescente hic pulsus persimilis est. Oritur à viâ parvorum intestinorum; In membris indicat omnia membra defatigata, & sanguinem corruptum defluere deorsum.

Nonus: *Si*: subtilis, pertinet ad *in*. Ictus quasi si gossypium tangatur est, accedens & recedens, valde parvus. Oritur à viâ umbilici. In morbis indicat, vesicam carere alimento medullarum, frigus, defectum virium, dolere interiora & defluere.

*Ki kim pa mē* Extraordinariarum viarum pulsus ordo. Duodecim viæ habent rivulos quindecim, quos à se hinc inde derivant. Hi colligantur viis, & præter duodecim rivulos, qui respondent duodecim viis, tres alias rivulos reperire est; Manuum magni caloris primig. ab intestinis parvis habet ejusdem nominis rivulum *lo*, & sic consequenter; Sed cùm non sit decima tertia via, *lo* rivulus vocatur *pi chi ta lo*: magnus à liene rivulus, & decimus quartus *yn ki à o lo* humili radic. ad calorem rivulus: & decimus quintus *jám ki ás lo*, caloris primig. eodem tendens rivulus. Sed adverte, quòd horum

horum trium rivulorum quamvis sint pulsus extravagantium viarum , aliquâ tamen ratione colligantur cum viis ordinariis. Verùm aliarum viarum extraordinariarum pulsus quamvis originem ducant à viis ordinariis , tamen illas non sequuntur. Harum proinde viarum sunt octo pulsus & octo loca, quæ morbos etiam diversos indicant.

Primus: *yām quēy*: caloris primig. vinculum ; Via pulsus est in confluxu omnium vinculorum *yām*, quòd circulum facit instar vermis longum circa caput, & postea in obliquum vergit , residens in ore pectoris causat morbum , & calorem primig. demittit ad stomachum, & inde ad cor, quod malum illud recipit, ex quo calor & frigus ad extra prodit, est morbus frigido - calidus. Causa morbi est, quòd caloris primig. vincula innitantur viis ordinariis , sed non colligentur cum ipso corpore.

Locus hujus pulsus *yām quēy* est in omnibus locis, in quibus *yām* viarum pulsus reperitur.

Secundus: *iñ quēy* : humidi radicalis vinculum. Pulsus hujus via est ex confluxu omnium vinculorum humidi radic., pervadit deorsum , & circuit corpus instar vermis. Sedes ejus est in medio pectoris , ubi & morbum causat , ex eo , quòd omnes vias humidi radic. suffocet & demittat ad lienem, & inde ad cor. Hujus viæ malum est pedum diminuti humidi via. Morbus ex illâ ortus fatigat cor & dolore afficit, estque ad intrâ in sanguine & non extrâ. Pulsus *iñ quēy* locus est in omnibus locis, in quibus sunt pulsus viarum humidi radicalis.

Tam morbus ex *yām quēy* quam ex *iñ quēy* indicat, multam sollicitudinem inesse , & animi generositatem perdi, corpusque torpore & pigritiâ corripi.

Tertius: *yām kiáo*: via caloris primig. ad calcaneum. Hujus pulsus via in calcaneo circuit os supernum calcanei, procedens sursum pertingit ad locum capitidis , qui *di fum xi ten* (cappillorum extremitas) vocatur. Instar serpentis ejus est motus, re-

tus, residet in ventriculo. Morbus est in juncturis pedum, & ubi facit tumorem & spoliat viribus; In corde vero causat metum. Origo viæ hujus est in manuum & pedum humidi radic. viis.

Quartus: *in kiao*: via humidi radic. ad calcaneum pedis. Pulsus & via circuit os supernum calcanei ad latus, & progre-ditur ad guttur, & inde ad oculos. Pulsus est similis chordæ extensæ, morbus, quem causat, manus & pedes atque illis con-juncta occupat, & vires ambulandi adimit, etiam intestino-rum & nervorum spiritus diminuit. Origo ejus est in pedum & manuum defectuosi humidi radicalis viis.

Adverte: Omnes pulsus humidi radic. plenos & mox di-spersos ingredi in viam humidi radic. ad calcaneum, qui indi-cant, malum esse in humido radicali, & non in calore, unde cal-or est remissus, & humidum intensem. Porro ex intensio-ne & remissione dictâ sequitur exinanitio & repletio, ac proin-pe *in kiao* via humidi radic. ad calcaneum gyrans circum os, & ascendens sursum operatur morbum ad intrâ, quem & in-tendit, verum ad extrâ remittit; At vero *yam kiao* morbus est frigidus, & residet in loco *fum fu*, calor enim ad extrâ fertur (sicut humidum ad intrâ se recipit) unde si exstat extrâ, ægro-tum necesse est sudorem procurare; Si ad intrâ, portionem purgativam necesse est adhibere.

Quintus: *chum*, via transversa, pervadens spiritus in me-diâ magnâ parte corporis à viâ pedum caloris puri. Locus est supra umbilicum usque ad ventris medium; Pulsus vero est similis ictui avis grana carpentis, qui in procedendo ad pectus ascendet, & ad latus utrinque dispergitur. Inter vesicam seu renes & tertiam regionem corporis, ubi est locus dictus civi-tas spirituum, quorum ibi est officina, perfectio & irrigatio, amittitur, unde quatuor partes, puta, manus & pedes tumore flavo inficiuntur. Subjicitur manuum magni humidi radi-calis viæ, facit intendi dolorem stomachi ad intrâ.

Sextus:

Sextus : *Gin me* : Pulsus prægnantis, est via in medio umbilici, quæ descendit ad sinuosum flexum, & ad id, quod infra illum est. Via pulsus illius est sine capite seu principio, sed habet extremum. Circuitus ejus est circa ventriculum, & sursum pertinet ad locum, qui ventorum porta dicitur. Morbus est mulierum fluxum infrà patientium, qui quatuor partes, puta, manuum & pedum destituit viribus. Subjicitur viæ magni caloris primig., quæ hunc rivulum mittit ad cor, quod fatigat, & illam fatigationem in colore rubro vultus & oris siccitate explicat, & subit etiam locum *quan uen*, unde venit ad guttur.

Si mulier jam concepit, morbum hunc habet.

Septimus : *To me* : pulsus gubernans, ut ipsi vocant. Via illius est in infimo loco infimæ partis ad os ultimum, quæ sursum ascendit ad locum capitifum suum diætum. Pulsus est instar extensæ chordæ. Morbus, quem indicat, causatur ex copiâ spirituum, tristitiam, dolorem laterum, oculorum obscuritatem assert. Subjicitur viæ pedum diminuti humili radicalis.

Octavus : *Tui*, cinguli seu balthei. Pulsus & via est intra latera corporis, circuit totum corpus. Pulsus est instar papilionis, caudam longam habentis, interdum pulsat, interdum quiescit. Dominatur pedibus & manibus, quos immobiles reddit. In renibus & vesica dolorem causat. Est à pedum caloris primig. puri viâ, stomachus præterea repletus esse videtur, quasi intra aquam latens. Morbus horum est frigidus.

*Monstrosi & mortales pulsus sedecim.*

Primus : *Chia yén* : ranæ motus, pulsus sic dicitur, quia non aliter quam ranæ subsilientis instar movetur. Per tria loca pulsuum progreditur. Intervallo integræ spirationis nunquam integer apparet, & semel tantum pulsat : Digitus saltum percipit. Indicat febrem malignam, & tertiat die mortem ; Ast si in loco, ubi vesicæ seu renum locus assignatus est,

deprehendatur post diem mortem nunciat. Vocatur pulsus *Sanxi* dissipans corpus. Codex ait: Abit anima, & corpus fit cadaver.

Secundus: *Yū wī*: piscis cauda. Pulsus sic dicitur, quod moveat digitum, sicuti piscis natans immotā caudā. Interdum redit ictus, interdum sīstit. Intervallo unius spirationis percipitur, maligna tunc febris suffocat humidum. Qui hunc pulsus habet, post biduum moritur, & si sit senex, post medium diem. Vocatur *kiue xi* dividens corpus. Pulsus hic vesicam seu renes destrui nunciat, similis est uti cum piscis caudā immotā caput movet, quem si manē perceperis, resolve, vespere moriturum, qui eum habet.

Tertius: *Yen tāo*: absconditus gladius. Pulsus sic vocatur, quod (sicut in manu gladius absconsus repente vibratur) appareat & dispareat celeriter. Celeritas ejus pulsus est, cum intervallo unius exspirationis & intusspiratio duo ictus fiunt, indicat, destrui pulmones. Morbus est narium emittentium sanguinem. Qui ejusmodi pulsus habet, post duos dies moritur; Si antiquus est morbus pulmonum, post unum diem. Vocatur *him xi* ambulantis cadaveris.

Quartus: *Feu liēn*, eversum folium floris *liēn* dicti (*liēn* est flos, fructum proferens rotundarum amygdalarum instar, quae in lacubus nascuntur) planè ejusmodi figuræ ad manum ictus pervenit, qui in primordio est parvus, in fine postea obliquè descendit, & inæqualis est, intervallo integræ spiratioñis semel pulsat, indicat, pectus oppletum spiritibus brevem habere spirationem. In morbis Senum hujumodi pulsus mortem post tres dies, in Juvenibus post unum diem nunciat. Vocatur *sum xi* elati foras cadaveris.

Quintus: *Kem xām feu che*, id est: jusculum pingue sursum fluctuans, & bullas seu orbiculos gemmarum instar natantes in superficiem emittens. Pulsus illi similis, cum venit, parvus est, cum abit, magnus. Indicat spiritus debiles; Vocatur

Vocatur *hie* & *su* *fee* fervens & aqua bulliens. Unde inter-  
vallo integræ spirationis facit duodecim ictus, & semel sistit.  
Antiquus liber ait: Digitus percipit iustum, atque si essent  
undæ jusculi natantis. Qui ejusmodi pulsus manè habent,  
vesperi mortem expectent. Apparens in loco medio, ubi est  
viae lienis & stomachi pulsus, annunciat mortem post tres dies;  
Vocatur *feu xi* natantis cadaveris.

Sextus: *Chen keu*: calicis orificium, pulsus hic dicitur,  
quia motus dicti vasis figuræ ad instar afficit digitum. Nam  
duo capita seu potius labra cum medio vacua & profunda per-  
cipiuntur. Cùm abit & venit, motum habet, qualem manus,  
quæ funiculum circumligat. Intervallo integræ spirationis  
octo ictus & interdum novem fiunt, & post diem mortem nunciant;  
Et si unum iustum suprà dictis addant, post unam ho-  
ram mortem nunciant. Vocantur *kuem xi* uncti cadaveris.

Septimus: *Cio chui*, ictus avium seu gallinarum, cùm  
rostro carpunt grana. Pulsus sic vocantur, cùm veniunt,  
sunt celeres, & digitum pungunt, prorsus uti gallina carpit  
grana. Interdum intervallo integræ spirationis faciunt tres  
ictus, interdum octo vel novem. Omnes indicant post tres  
dies mortem, & si pulsus reperiantur in loco, qui est assignatus  
stomachi viae, post unam horam. Vocatur *su*, *xi* disponens  
ad cadaver. Antiquus liber ait: Ictus comedentium galli-  
narum continui & interdum valde celeres stomachum (origi-  
nem scilicet spirituum, qui ex alimentorum materiâ fiunt) de-  
ficere significant, & difficulter restaurari.

Octavus: *Ilo leu*, id est domûs stillicidium. Pulsus, qui  
similis est aquæ recurrenti, aut potius stillanti guttatum ex do-  
mo, tres ictus plerumque habet, & cursum interrumpit, quos  
intervallo integræ spirationis percipies in ægrotis; Cùm ve-  
niunt, sunt pleni, cùm abeunt, debilissimi. In Senibus post  
decem vel triginta dies mortem, in Juvenibus post tres nunciant.  
Quicunque in loco viae stomachi ejusmodi pulsus  
habet,

habet, post diem unum moritur. Vocantur *pim xi* cadaveris ægrotantis. Antiquus liber ait : Trium calorum spiritus exinanitos & à stomacho separatos indicant. Similes sunt stilis pluviae delabentis ex tecto.

Nonus : *Tan xe* : Id est pulsus pilæ lapideæ; Sic dicitur, quia habet ictum, quem facit projectus lapis seu pila, qui intervallo integræ spirationis non iterum reddit. Indicat, pedum diminuti humidi radic: viæ à vesicâ spiritus destrui. Cùm venit & abit, motum efficit quem qui sufflat in plumam. Aliquando integræ spirationis intervallo unicum ictum, aliquando duarum integrarum spirationum similiter unum ictum habet. Uterque mortem post diem nunciat. Vocatur *Xoen xi* anima cadaveris. Antiquus liber ait : Ictus, qui vadit celeriter, & venit tardè, significat vitam abrumpi. Similis est motui, quem lapis projectus efficit.

Decimus *kiaj so*, solutæ chordæ motui pulsus persimilis, frequens est & dispersus, nec continuus, sive etiam colligatus, planè sicut cùm aliquis cordam aut cingulum dissolvit à corpore. Intervallo frequentium spirationum interdum unicum ictum habet ; Cùm venit, mox dispergitur, cùmabit moram facit, videturque ejus motus, sicut si torqueas herbas in funis modum, annunciat post tertium diem mortem, & si in loco viæ vesicæ deprehendatur, post unum diem ; Vocatur *tai xi* cincti cadaveris.

Undecimus : *siē kium* : duarum herbarum sic dictarum radices, qui statim atque natant mox evanescunt. Pulsus similis illis à digitis exploratus deficere comperitur, sed cùm elevatur, impleri. Integræ spirationis ictus novem vel decem fiunt ; Ictus, cùm accedunt, longi, cùm abeunt, carent viribus. Si in pedum diminuti humidi radic: seu vesicæ viâ pulsum hunc videris, mortem post diem resolves. Vocatur pulsus *fi xi* volantis cadaveris.

Duodecimus : *Hū nōn*, terræ globulus seu gleba. Pulsus similis huic facit ictum, in dito percipi plenum & magnum, nec principium nec finem habet. Intervallo unius spirationis novies & decies accidit : Nunciat mortem post duos dies. Si in vesicæ viæ loco reperitur, spiritus finiri, & post diem unum mortem nunciat. Vocatur *pulsus cīue xi destruci* cadaveris.

Decimus tertius : *Fan pāi*, eversus & destruens. Sic dictus pulsus assimilatur duabus fabis parvis in aquâ natantibus, ictus similis illarum motui. Cùm venit, est levis, cùm abit, est tardus. Intervallo unius spirationis septies vel octies accidit, & est in malignâ febri, quando ob laborem delirat ægrotus. Qui ejusmodi pulsus habet, post unam horam moritur, vocatur *te xi* cadaverens.

Decimus quartus : *Ta ke*, polus seu axis : Est pulsus instar digitalis indicis. Ictus cùm venit, est magnus, cùm abit, est plenus, nunquam sistit aut quiescit, interim unus ictus intervallo integræ spirationis, interdum duarum, sed valdè debilis fit. Qui istos pulsus habet, post horam moritur. Vocatur *pulsus kien xi trahens* cadaver.

Decimus quintus : *Kiai sō*, solventis lumbos. Pulsus est instar filii delicatissimi & subtilissimi, cùm venit, est parvus & sine capite : Similis est motui, complicantis quidpiam, & qui non potest iterum redire. Indicat, originales spiritus finiri. Tempore unius spirationis decem ictus facit, & post illos subsistit. Post diem mortem nunciat. Vocatur *pulsus Cō xi deplorantis* cadaver.

Decimus sextus : *To Xi*, significat, afferens Mortem. Pulsus sic dictus similis est chordæ personantis intenso ictu. Cùm venit, est creberimus, cùm abit, minus creber, principium habet magnum, finem valdè parvum, chordæ percussæ assimilatum. Intervallo spirationis unicus ictus, vel tres celerimi absque quiete, vel octo cum subsequenti quiete accidunt,

*Dec. II. Annus IV.*

Q \*

& post

& post diem mortem nunciant. Vocatur pulsus *māy xi*, sepultum cadaver.

Commemorati pulsus omnes sunt mortales, & quasi singuli ex intervallo regularis spirationis, quam suprà diximus esse mensuram omnium pulsuum bene colligi possunt, etiam oportet hoc idem intelligere ex vocibus seu sonis, coloribus atque appetitu ægrotantium, ad quod si pertigeris, artis perfectionem attigeris, nam inde quoque morbos & affectiones ac mortem prædicere poteris.

### CAPUT DECIMUM SEXTUM.

*Qui sint pulsus connaturales in tribus locis manus dextræ, & in tribus locis manus sinistre, assignati viis duodecim, manantibus à membris & sex intestinis.*

**A**dverte primò, tam in dextrâ quàm sinistrâ locum primum *cūn keu* subditum esse *lao yām* calori primig. perfecto, & occupare de spatio *kieu fuēn* seu mensuræ digitalis novem partes ex decem *ki* dictis seu numero impari. At verò in utrâque manu locum tertium seu ultimum *chē* subditum esse *lao iñ* humido radicali perfecto, & occupare de spatio decem partes in numero pari, seu integrum unam mensuram digitalem. Porrò medium locum seu secundum pulsum *quañ* esse limitem distinguentem primum & tertium locum, & unientem inter se calorem primig. & humidum radic. Nam locus primus *cūn keu* est sedes caloris primig., & pulsus connaturalem habere debet in novem partibus natantem, & locus tertius *chē* humidi radic. pulsus connaturalem habere debet in decem partibus, hoc est in uno articulo *Xin* seu profundum. Sed medius seu secundus locus *quañ*, sedem utriusque habere debet, & pulsus connaturalem, nec suprà nec inf. à natantem, sed medium inter hæc duo, qui cùm à *quey ki* spiritibus stomachi exoriatur, (qui utiq; in medio

medio consistit) inde fit, ut temperamentum indicet ac æqualitatem primi & tertii loci pulsibus, quam si amittat, tam primi quām tertii loci pulsus indicant, calorem & humidum excedere vel deficere, & si extra *yn ci* (sic locus vocatur in extremo palmæ) & *chē* (alter locus ad extremum *chē* mensuræ) terminos evagantur, & pulsus medii loci *quan* & spiritus nulli se attemperantes appareant, contingit, homines, qui ejusmodi pulsus habent, sine morbo mori.

Textus: Pulsus alii sunt *tai que*, excedentes, alii *pu kie* deficientes; Interdum *iñ* & *yām* se mutuò opprimunt, interdum pulsus *feu* retrocedunt, interdum *iē* excedunt, interdum limites intrà & extrà pervadunt. Quare? nimirum, quando ad medium locum *quan* *yām* moverur, si pulsus natans ultra partes novem mensuræ digitalis transgrediatur, vocantur pulsus *tai quo* excedentes; Si ad illos non pertingant, vocantur *pu kie* deficientes; Porrò, si ascendant locum *iu ci* palmæ manus extremum, exundantes, qui limites egrediuntur, & ad intrà pertingunt, tales pulsus esse humidi radic. opprimentis; Cùm verò post *feu* infra locum medium *quan* in humidum radic. moverur, pulsus in spatio integro unius articuli profundi sunt, qui si illud spatum pertranseant, vocantur excedentes, si non attingant, deficientes, & si non attingant locum *che te*, sunt pulsus *feu* retrocedentes, quia limitem ipsum ingrediuntur, & ad extrà serecolligunt, vocanturque *yām* caloris primig. vincentis pulsus.

Comment: Ante medium locum in utrāque manu primoloco pulsus natantes caloris primig. moveri oportet in novem partibus in impari numero; Post secundum locum verò seu medium *chē* tertius locus humidi radic. profundos pulsus habere deberet integro spatio seu decem partibus *iñ* pari numero. Hic & ille pulsus bene habentem indicant, siquidem illa loca distinguunt *yām* & *iñ*, quæ & in unione mutuā conservantur, unde æqualitas & temperies sequitur, unde fit, ut

unum aliud nequaquam supereret. Quod si unum aliud superare contingit, tum verò pulsus *tai quo* excedentes, *pu kie* non pertingentes seu deficientes, *iē* excedentes, *feu* retrocedentes, *quan* limites invadentes aut non attingentes exoriantur. Quando nimis spiritus *in* valde sunt copiosi, faciunt, *yām* spiritus deorsum non posse pervadere à loco, unde sunt, unde illos necesse est à proprio loco evagari, & pulsus ascendere ad *in ci* locum, ubi pulsus sunt, qui exundantes appellantur: quod videlicet *vai quān* extra limites progressi fuerunt, & *nuy kie* intrà pertingere non potuerint; Nam multum humidum radic. vincens opprimit calidum primig. quare humili radic., pulsus habere dicuntur *tai quo* excedentes, & calor primig. *pu kie* deficientes. Et si spiritus caloris primig. sunt valde multi, faciunt humidum sursum pervadere cum suis spiritibus, & à loco connaturali descendere & evagari infra locum quartum *che ce*, ubi pulsus reperti *feu* retrocedentes appellantur: hoc est, intra ipsos limites *nuy quan* progressi & *vai kie* ad extra non procedentes amplius. Nam calor primig. vincens opprimit humidum radic., & hichabet pulsus excedentes, illud verò deficientes.

Textus: *feu* pulsus retrocedentes, & *ye* exundantes solent esse pulsus, *che cañ* recti intestini: Qui illos habet, etiam sine morbo moritur.

Comment: Utterque indicat, calorem & humidum non sibi mutuò cohærere, quod videlicet unum ab alio separetur, à se mutuò deficiant, siquidem *yām* calor primigenius nihil producit, & in humidum radicale nihil efficit, unde susque deque sibi mutuò commixta. *Che cañ* intestini recti pulsus efficiunt, & cùm stomachus spiritus nullos habeat, per quos ad temperiem reducat calorem & humidum, accidit, ut quamvis homo sine morbo sit, cùm unum ab altero vincatur, ut repente moriatur.

*Paradigma.*

*Cum*

Cum primus  
yām caloris pr. pul-  
sus & motus.

Quān secundus  
limes utriusque  
in medio.

Chē tertius locus.  
In humidi rad. pul-  
sus & motus.

*Pulsus.*

Qui locum  
in ci ingre-  
ditur est  
exundans  
extrā limi-  
tem vadēs,  
& intrā si-  
stens, indi-  
cat mori-  
bundum.

Qui novem  
partes supe-  
rat, dicitur  
tai quo ex-  
cedens, qui  
non attingit  
pu kiē defi-  
cens, indi-  
cat morbū.

Qui sunt  
in chum cuī  
spatium locum chē ce,  
est chē talis tai quo  
dus, sa-  
num in-  
dicat.

Qui superat  
Qui intrant  
dicuntur re-  
tai quo ex-  
cedentes,  
sunt exceden-  
tes, qui non at-  
tingunt, sunt extra  
deficientes, in-  
dicant morbū.

*Pulsus.*

Qui novem partibus feu  
supernatat, sanum ho-  
minem indicat.

Adverte autem diligenter, in tribus locis tam sinistræ  
quām dextræ, si connaturales pulsus sint, debere esse vel na-  
tantes, vel medios, vel profundos. Quòd si feu natantes de-  
generent in tai huo, excedentes tunc fiunt, vel ta magni, vel  
cham longi, vel Xe pleni & solidi, vel hien chordæ ad instar ten-  
sæ, vel kūm exundantes, vel keū in utroque extremo plani, &  
in medio interrupti, vel hie crebri; At verò si chum pulsus  
profundus degenerat in pa kie, deficientes tunc fiunt, vel si  
subtiles, vel tuon breves, vel hui vacui, & chi tardi, vel me de-  
biles, vel fo introcedentes, vel ci rari.

Soli pulsus chum in medio, qui indicant spiritus, ventris  
sunt, nec magni, nec subtile, nec parvi, seu pū ta pū si, item:  
pū cham, pū taon nec longi nec breves, pū chon pū feu nec  
profundi, nec supernatantes, pū kie pū kua nec deficientes, nec  
excedentes, seu quod idem esse dicitur, digitæ explorantes illos

mediocres reperiunt, & possunt vocari pulsus spirituum stomachi, quia sunt medii inter duos extremos pulsus.

Adverte secundò, quôd pulsus connaturales, qui competunt locis tribus utriusque manus, ac viarum, ac statuum originem congenitam indicant, habent causam generalem calori primig. & humido radic: sanguinis ac spirituum motu illo devectorum. Verùm distinctio & qualitas pulsuum provenit ex ordine & distinctione triplicis viæ ejusdem caloris primig: & triplicis viæ ejusdem humidi radic:, prout illæ diversimode à suis originibus dimanant, quam diversitatem pulsûs in dictis locis explicant, ac proinde causa integra diversitatis ordinis ac pulsuum connaturalium in locis tribus utriusque manus est calor & humidum, prout hæc in viis motûs sanguinis & spirituum congenitas qualitates originum communicaunt, quas pulsus dicti explicant.

Textus: An pulsus habeant humidi radicalis & caloris primigenii mensuram? Omnino habent, nam hū exspiratio egreditur de corde & pulmonibus, hie introspiratio ingreditur vesicam & hepar, & hæc duo integrum componunt siē spirationem. Stomachus situs in medio, recipiens alimentorum sapores, pulsum, à quo status suus indicatur, habet quoque in medio.

Comment: Pulsus habent humidi radic: & caloris primig: spiritus distinctos & diversos. Exsufflatio & insufflatio, ut ipsi dicunt, videtur in exspiratione & intropiratione. Cor & pulmones existunt in supremâ parte, calor primig: prædominans illorum spiritibus appetat in expirationis egressu; At verò vesica & hepar in inferiori parte consistunt, & dominans illorum spiritibus appetat in intropirationis ingressu. Lien & stomachus quamvis non pertineant ad spirationis egressum vel ingressum, tamen quia dominatur & præest recipiendis alimentis, ex quorum materiâ spiritus enascuntur, sicut locum medium obtinet in membris, ita in medio pulsuum illius con-

Hus constitutio indicatur , & pulsus reperiuntur medii inter pulsus , qui intervallo introspirationum & exspirationum contingunt.

Textus: Pulsus supernatantes sunt à calore primigenio, & profundi pulsus ab humido radicali, unde omnes vel ad humidum vel ad calorem pertinent ; Sed cor & pulmones sunt pulsus supernatantes, quomodo ergo inter se distingui poterunt? Nimirum : Si pulsus sunt *feu ta san* natantes, magni, qui & subito disperguntur, pertinent ad cor, & ejus statum naturalem indicant ; Si autem sint *feu tuon*, natantes breves ac rari, ad pulmones pertinent, eorumque naturalem statum indicant. Item hepar & vesica seu renes pulsum habent profundum. Sed quomodo eorum differentia poterit cognosci? Si nempe pulsus sunt *xin kin chām* profundi , vehementes, intensi ac longi, hi enim ad hepar spectant, illiusque naturalem constitutionem indicant ; Quod si verò *xin so* profundi debiles, advertant, illi vesicam seu renes & illorum statum naturalem indicant.

Stomachus in medio residet quasi custos civitatis, unde & pulsus , qui statum illius indicant , in medio sunt, & officium habent in aliis pulsibus humidum radicale & calorem primigenium attemperare.

Comment. Pulsus magnus, qui statim dispergitur & longus est, pertinet ad calorem primigenium ; Pulsus breves, rari, intensi, debiles ac vacui ab humido radicali proveniunt. Quod verò dicuntur *Xe lapides*, intelligere debes profundos, ram ima petunt, ut & lapis. Qui pulsus ascendunt sursum, vocantur supernatantes, natura illorum est elevari ac dimitti ; Qui autem descendunt deorsum , profundi sunt ; natura eorum est, ut, si leniter à manu explorantur, prossus non sentiantur, & non nisi fortius compressi reperiantur. Atque inde cùm cor & pulmones aliis superemineant, pulsus, qui indicant statum, supernatare debent, ac vesica & hepar cùm deorsum resideant,

resideant, pulsus, qui eorum statum indicant, profundos esse oportet.

Nota verò diligenter, quod pulsus natantes, magni, & qui mox disperguntur, quia sunt à chī yām, à perfectissimo calore primig: ideo indicant cordis naturalem constitutio- nem, & pulsus natantes, breves & rari, qui sunt à yām chūm chi iñ ab humido radicali quod est in medio caloris primig:, indi- cant pulmonum affectionem connaturalem, & pulsus profun- di, intensi & longi, quia sunt ab iñ chūm chī yām à calore pri- migenio, qui est in medio humidi radicalis, indicant statum naturalem hepatis : Et pulsus profundi, molles & debiles, quia sunt à perfecto humido radic. per pedum humidum radic: per- fectum calorem primig: intelligitur non mixtus, sed simplex. Porro per yām chūm chī iñ & iñ chūm chī yām intellige calorem intra humidum radic: & humidum radic: intra calorem pri- migen: seu in medio caloris primig., æqualem verò utriusque mixtionem, caloris scilicet & humidi, esse stomachi pulsus, qui qualitatibus terreis subjecti sunt, & cum ipse in medio pulmo- num & vesicæ consistit, & tanquam à centro ad omnia mem- bra illas propagat qualitates, atque temperiem in illarum ca- lorem primig. & humidum radic: inducit, pulsus etiam illius in medio aliorum pulsuum sunt. Addiscentem oportet hæc profundè speculari.

Textus : Alii pulsus sunt yē yām yē yām ab unâ origine hu- midi radic. & ab unâ origine caloris, alii yē iñ Ch yām ab unâ origine humidi radic. & duabus caloris : alii yē iñ sañ yām ab unâ origine humidi radic. & à tribus caloris : Deinde yē yām yē iñ ab unâ origine caloris & ab unâ origine humidi radic: alii yē yām Ch in ab unâ origine caloris & duabus originibus humidi radic. alii yē yām sañ iñ ab unâ origine caloris & tribus humidi radic. Unde sequitur, quod cūn keu locus primus habeat interdum pulsuum qualitates sex, aut iisdem careat pro accessu vel recessu contrariorum pulsuum. Pulsus natantes & profundi vel sunt breves

breves & longi, vel crebri & rari, sed qui sunt natantes à calore primig: & qui profundi, ab humido radicali. Quare pulsus hos diximus ab unâ origine humidi & unâ caloris esse *xin kie*, sunt profundi & crebri, qui yē iñ ch yām ab unâ origine humidi, & duabus caloris sunt: *Xim kie chañ* profundi crebri & longi? Singuli quos diximus yē iñ sañ cañ ab unâ origine humidi & tribus caloris sunt pulsus *feu kie ulli chan xi* yē *xim* natantes, crebri, longi sunt, & postea superveniens illis profundus.

Quos autem diximus pulsus esse yē yām yē iñ ab origine caloris alterâ, alterâ humidi sunt *feu lli ci*, natantes & rari sunt, quos yē yām *ch iñ* ab unâ origine caloris & duabus humidi sunt, *chañ ch chañ ci* simul longi, profundi & rari sunt. Quos yē yām *san iñ* ab unâ origine caloris, & tribus humidi sunt *Xin ci le tuon xi ien feu* sunt simul profundi, rari, breves, & postea superveniens natans. Per similes pulsus viæ membrorum ac intestinorum manifestantur, & bona singulorum vel mala constitutio.

Comment: Pulsus ab unâ origine humidi & unâ caloris est profundus & creber; In manus sinistræ tertio loco indicat statum vesicæ & ureterum connaturalem. Quòd si idem pulsus appareat in manus sinistræ primo loco, est contrarius cordis membro & parvis intestinis, (quia aqua seu vesica, cuius pulsus est naturalis, ignem suffocat, qui cordi dominatur.

Pulsus ab unâ origine humidi & duabus caloris, v. gr. profundus creber & longus, si appareat in tertio loco (sive dextræ sive sinistræ) qui subiectus est humido radic., manifestum est, à calore primig. opprimenti humidum. Pulsus ab unâ origine humidi, & tribus caloris natans, creber, longus & subsequens profundus; Si in tertio loco sive dextræ sive sinistræ appareat, manifestum est, in medio caloris primig. suffocari & interire humidum radicale. Item: Pulsus ab unâ origine caloris & unâ humidi, hoc est: natans & rarus, si appareat in dextræ manus secundo loco, est hepati & felli pulsus contrarius.

Pulsus ab unâ origine caloris, & duabus humidi, simul  
*Dec. II. Annus IV.* R \* longus,

longus, profundus & rarus, si reperitur in primo loco seu dextræ seu sinistre, (eui dominatur yām) significat sanguinis & spirituum exinanitionem, quod humidum radicale opprimat calorem. Pulsus ab unâ origine caloris & tribus humidi, hoc est: profundus, rarus, brevis, & post illos natans, si reperiatur in primo loco seu dextræ seu sinistre, manifestum est, in medio humili radicalis intercedere & suffocari calorem primigenium. Quare necesse est singularum duodecim viarum & originum loca assignata pulsuum inquirere, & quatuor temporum examinare pulsus, præterea mutationes sex pulsuum, & ex illis statu naturalem vel præternaturalem corporis humani resolvere.

*Paradigma rerum supra dictarum.*

*Xin pul-* h̄c intropi-  
fus pro- ratio ingre-  
fundus ditur vesicā  
ab hu- & hepar, am-  
mido bo sunt *Xin*  
rad. pulsus pro- fundi, sed  
pulsus pro- fundus, mol-  
lis debilis in- dicat vesicā  
& ureteres, quia est hu- midū radic.  
intra humili dū radic. hoc  
est: via intra  
viā alteram ejusdem na-  
turæ. Et sic  
intellige de  
reliquis.

*Introspiratio sequitur  
humidi ingressum.*

*Spiratio* *hum kie*, stomachus recipiens cibos & sa- pores, habet pulsum remissum sed parvū. quia indicat stomachi statum.

*sed soli- chum chan* dus in- dicat *pi* lienem nam cō- indicat *han* natura- *tan* hepar lis eorū & fel, quia stat⁹ est est in *chum* humidū & con- dum radic. & con- trā.

*hu exspiratio.* *pulmonib⁹* natans & corde, est à ambo sunt *yām* ca- pulsus na- tantes *yām* pri- migen. caloris, sed natans, bre- natans vis, rarus, magnus indicat & mox pulmonem dissipat & magna tus in- intestina, dicat nam est in cor & medio ca- paucaloris humili- dum radic. na nam est calor primig. intra calore.

*Exspiratio cum calo-  
re egreditur.*

Dico

Dico primò: Sex puncta manuum sex habere pulsus, qui statum connaturalem membrorum & cohærentium intestinorum indicant, & quidem in sinistræ primo loco *cun keu* pulsus viarum cordis & parvorum intestinorum est *feu ta san*, natans, magnus, & qui mox dispergitur; Oritur à calore puro & non mixto, ideo dicitur esse à calore intra calorem. In manus dextræ primo loco *cūn keu* pulsus viarum, pulmonum, & magnorum intestinorum est *feu tūm ci*, natans, brevis & rarus. Oritur à calore primigenio, in cuius medio est humidum radicale.

Ambo pulsus cùm fiunt natantes, pertinent ad *yām* calorem primigenium, cuius spiritus sursum feruntur, ideo *hu* exspiratio egreditur à corde & pulmonibus sursum. Proinde primo loco tam in dextrâ quam sinistrâ ejusmodi pulsus sunt assignati, quia ibi sunt eminentes & natantes, & quasi superiores, sicut & ipsa membra in corpore humano, quorum statum connaturalem indicant, videntur esse in primo & superiori loco præ reliquis.

Iterum in secundo loco seu medio *quan* manus dextræ, qui hepatis infrà siti, & fellis vias indicat, pulsus est profundus, intensus atque longus. Oritur ab humido radicali, in cuius medio est calor primigenius.

Similiter in manus sinistræ tertio loco *chē*, quia viam vesicæ seu renim & ureterum inferiùs sitorum indicat, pulsus est profundus, mollis, debilis, oritur ab humido puro & non mixto, ideo dicitur esse ab humido intra humidum. Talem pulsus habet in manu dextrâ tertius locus, qui indicat statum vitæ portæ & tertiaræ regionis corporis; Et cùm pulsus profundi ab *īn* humido radicali deorsum ferantur, ideo *hiē* introspiratio, quæ consequitur humidum radicale, ingreditur hepar, vesicam seu renes & portam vitæ, in quibus humidum residet radicale.

Hinctam secundus locus in manu dextrâ, quam tertius locus in  
R. 2

cus in dextrâ & sinistrâ , pulsus habet profundos, quia etiam membra & intestina, quorum indicant statum connaturalem sunt in inferioris vel infimo corporis humani situata loco, hoc est: secundo & tertio.

Porrò inter hū & hie exspirationem & introspirationem (puta: inter yām & iñ humidum & calorem, seu inter pulsus natantes & profundos, cùm sint extreMè contrarii) medium necesse fuit poni, ideo pulsus medius temperatus remissus videlicet est. In medio loco manūs dextræ seu secundo qui quan dicitur. Hic pulsus remissus si sit & parvus, indicat stomachi statum connaturalem ; Si verò sit solidus, indicat lienis statum item connaturalem. Oritur ex æqualitate yām & iñ mutua, seu humidi radic. & caloris primig.; Nam cùm lien & stomachus neque sint supra nec infra alia membra, sed in medio, pulsus quoque, qui amborum statum indicant, medios seu mediocres; hoc est: neque natantes neque profundos esse oportuit, & locum etiam eorum, ubi reperiuntur, medium, hoc est: secundum in manu dextrâ quan dictum, ubi percipiuntur eorum pulsus. Planè in mensurâ temporis seu spirationis mediâ morâ, quæ intercedat inter hū ke exspirationem & introspirationem, si sint quinque pulsus, vel in ipsis ictibus pulsuum, si sint quatuor, nam in intervallo unius spirationis in sano homine non plures quinque, nec pauciores quatuor pulsus inveniri, diximus suprà.

Colligitur, primum locum utriusque manus subjici calori primigenio, similiter tertium subjici humido radicali, medium verò æqualiter humido radic: & calori primigenio. Proinde & pulsus, qui reperiuntur, connaturales alias esse à calore, quales sunt natans, creber, longus, alias ab humido, quales sunt profundus, rarus, brevis, ac præterea in dextræ primo loco pulsus natans, brevis & obtuso-rarus est à calore ; In quo est humidum, hoc est, ab unâ origine caloris & duabus originibus humili, indicant congenitum statum pulmonum & magn-

magnorum Intestinorum, quibus metallorum frigus dominatur; Et cum ignis frigori contrarietur, ideo cor pulmonibus, & pulsus cordis exundans magnus pulsui viae pulmonum natanti & raro. Ideo repertus in primo loco dextræ indicat, à corde igneo destrui metallicam pulmonum naturam.

In primo loco manus sinistram pulsus exundans, magnus, qui mox dispergitur, est à calore primig:, qui est in medio caloris primigenii, hoc est: solummodo ab originibus caloris primig: indicat connaturalem cordis & parvorum intestinorum statum, sed igni sicco contrariatur aqua, ideo cordi vesica seu renes, ac proinde illius pulsus profundus, debilis & creber pulsui cordis magno natanti. Quare repertus in loco sinistram manus indicat, ab aquâ, hoc est: vesicâ extingui ignem, hoc est, cor. In tertio loco sinistram manus pulsus profundi & cerebro-acutiac debiles sunt ab humido radicali, in cuius medio est calor primig: seu à duabus originibus humidi radic: (quatenus profundi sunt & debiles) & ab unâ origine caloris primig: (quatenus sunt cebri) indicant congenitum statum vesicæ seu renum & ureterum, nec non in tertio loco dextræ statum portæ vitae & tertiaræ regionis corporis, quorum natura est aquæ, licet qualitates item igneas habeant; Atqui humidæ aquæ siccâ terra contrariatur, & vesicæ & portæ vitae lien & stomachus, ac proinde pulsus viae stomachi remissus & languidus repertus in tertio loco (seu dextræ seu sinistram) indicat, à terrâ destrui aquam, hoc est: à stomacho vesicam seu portam vitae. In medio seu secundo loco sinistram pulsus profundi, longi & intensi, seu similes chordæ tensæ, sunt ab humido radic: in cuius medio est calor primig: (quatenus profundi & intensi) indicant connaturalem statum hepatis, cui dominatur Sinarū Elementum arboreum seu aëreum; Verum arboribus seu aëri humido metalla persuam siccitatem contrariantur, ac proinde hepati pulmones, & horum pulsus utrique natans, brevis & rarus simul contrariatur pulsui hepatis profundo, longo & intenso;

tensò ; Quare repertus in secundo loco sinistræ , significat , à Metallis arbores seu aërem frigidum destrui , & à pulmonibus hepar .

In secundo loco seu medio dextræ pulsus remissi & simul languidi , sunt à caloris & humidi temperie , & medii sunt inter natantes & profundos , breves & longos , crebros & tardos ac languidos , indicant lienis & stomachi statum connaturalem . Porrò lieni & stomacho dominatur terra , sed siccæ terræ contrariatur arborum seu aëris humiditas & subtilitas , ideo stomacho contrarium est hepar , & pulsus viæ hepatis profundi , longi & crebri pulsibus stomachi remissis , languidis & tardis : Unde reperti in dextræ secundo loco terram destrui ab arboribus seu aëre , & stomachum ab hepate , indicant . Quòd si bene percepisti pulsus connaturales à calore primig: & humido radic: exortos , qui mediantibus viis originum in punctis sex manuum apparent , facilè contrarios pulsus & præternaturales , qui irrepere solent , advertes : Item , in quo peccant , (aut deficiant aut excedant ) à connaturalibus , & consequenter , quomodo origines connaturalium pulsuum afficiantur , diminuantur aut dejiciantur à suo connaturali statu ac temperamento ; Nec te fugiat notitia morborum , qui destruunt sanitatem , & inducunt Mortem : nam sanitas in temperie caloris primig: & humidi radic: , quam pulsus explicant , consistit , morbi in mutatione & horum alteratione , mors verò in dissolutione , aut victoriâ , aut excessu alterutrius , vel destructione utriusque .

Colligitur secundò : Cùm loca pulsuum aliquos natantes , aliquos profundos habeant , bene animadversum esse à Medicis Sinicis , natantes pulsus , qui sursum feruntur , levitatem habere , & profundos gravitatem , quæ etiam bene sunt notanda , & locus cuiuslibet pulsus perscrutandus , prout maiorem gravitatem in illo aut minorem habent : Si videlicet aut ad pellem & carnem , aut ad nervos , aut ad ossa illorum demoratio

moratio sit connaturalis, vel adventitia, ac irrepens per modum advenæ & hospitis, quemadmodū Sinenses loqui solent, Ex hoc enim percipi poterit clarè, ubi in illo loco resideat morbus, videlicet, an in ossibus, an in nervis tantum, vel etiam in sanguine vel superficie carnis.

Colligitur tertio: Non solum in locis assignatis pulsuum necesse est obiter pulsum explorare per mensuram unius spirationis, si nimis ad intervallum unius spirationis quatuor vel quinque ictus connaturales ille pulsus excitet, ut indicetur illa via & origo (membrorum, inquam, & intestinorum) bonam habere constitutionem; Verum necesse est octo vel decem spirationum intervallo quadraginta quinque aut quinquaginta ictus ejusdem loci pulsuum explorare. Nam si intervallo predicto constanter iidem immutati reperiantur, intelligetur via illa & origo (membrorum, inquam, & intestinorum) non solum ipsa bene habere, sed alias quoque vias & origines, à quibus sunt, cum illâ viâ & origine.

### CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

*An pulsus connaturales assignatis viis duodecim & originibus spiritus iidem persistant in locis sinistre & dextræ manus hominis sani, an suas etiam vicissitudines temporis anni patiantur, & quis vicissitudinum sit motus & causa.*

**A**dverte primò: Sinenses uti anno lunari, qui constat 360. diebus, Continet verò hic numerus sexies sexagesima dies, (qui cyclus apud illos horiarum literarum duodecim, & annuarum deceem conversiones obtinet.) Porro, cùm sint quatuor anni tempestates (quarum quælibet ex duodecim Mensibus tres menses, seu ferè nonaginta dies occupat) Sinenses quintam anni tempestatem seu mutationem.

tationem invenerunt, & quidem tam veri & æstati quam autuno & hyemi singulis septuaginta duos dies ex nonaginta diebus seu ternis mensibus assignarunt; Quintæ vero tempestati octodecim dies, (qui à 72. diebus ad nonaginta dies excurrunt) decerpitos de qualibet ex quatuor tempestatibus tribuerunt. Unde fit, ut quater octodecim faciant 72. & quinque 72. efficiant trecentos sexaginta dies, qui complent annum Sinicum lunarem; constantem quinque tempestatibus seu mutationibus annuis secundum illos.

Adverte secundò quod non solum membra & intestina adhaerentia subjecta sint quinque Elementis, verum etiam singulas anni tempestates, quare dominium, quod quinque anni tempestates supra membra & intestina habent, recte dicitur dominium Elementorum, & dominium, quod Elementa habent, recte vocatur dominium quinq; tempestatum. Sic ver dominaria aeri & arboribus, hoc est: hepatici, quod naturam earum habet, dicitur. Aestas igni, h. e. cordi, Autumnus metallis, h. e. pulmonibus, hyems aquæ, h. e. vesicæ seu renibus, denique annua tempestas, (quæ est tempus extreum octodecim dierum cuiuslibet ex quatuor præcipuis tempestatibus) terræ dominatur, hoc est, lieni & stomacho.

Neque solummodo tempus annum in quinque tempestates, quæ quinque mutationes notabiles indicant, diviserunt, verum in reliquo tempore alias etiam varietates & immutaciones minores seu minus notabiles repererunt, distinxeruntq; quas 24. esse volunt, & quidem in primis duodecim mutationibus iam calorem primi; crescere & augeri, in vero diminui duodecim viis corporis humani, ac proinde & pulsus in illis exortos variari, in aliis vero duodecim mutationibus crescere in humidum radicale, & iam calorem diminui, & similiter pulsus variari, notarunt. Verum maximè notabilis variatio & distinctio pulsuum sit per quinque tempestates annuas, quam & præcipuo cum studio observari jubent.

Textus:

Textus : Codex sic ait : Diminuti caloris primig : via & origo tertiae partis corporis pulsum interdum producit magnum, interdum parvum, interdum longum.

Puri caloris via & origo magnorum intestinorum pulsum producit *feu ta ch ton* natantem magnum & brevem.

Magni caloris primig: via & origo parvorum intestinorum producit pulsum exundantem, magnum & longum.

Magni humidi radicalis via & origo pulmonum pulsum producit intensum, magnum & longum.

Diminuti humidi radicalis via & origo cordis producit pulsum intensum, subtilem & parvum.

Defectuosi humidi via & origo hepatis producit profundum, brevem & celerem.

Existit sex pulsibus alii sunt connaturales & sani hominis, aliqui apparent, cum morbus advenit. Quælibet viæ dictorum pulsuum habent pulsus prædominantes, eò, quod Spiritus illorum in determinatis mensibus dominari soleant pluribus diebus. Sic in solstitii hyberni tempore in cyclo sexaginta dierum prædominatur diminuti caloris via, in sequenti verò cyclo sexaginta dierum caloris puri via dicitur, postea diminuti humidi radic. in alio item cyclo sexaginta dierum dominatur spatio.

Unde, cum cujuslibet originis & viæ dominium duret sexaginta diebus, & sexies sexaginta confiant 360. dies, sequitur per annum in sex viis diversarum qualitatum dominia apparere. Ista autem dominia trium viarum & originum humidi radic. & similiter trium viarum & originum caloris primig. atque tempus dierum, quo illa exercent, maximi sunt momenti.

Comment: Humidi radic. & caloris primig. diversi spiritus in annuis tempestatibus maximè apparent ; Solsticium hyemale habet perfectissimum *in kiē* humidum radic. quod producit calorem primig. solsticium æstivum habet *yām kiē* perfectis-

perfectissimum calorem primig. quod producit humidum radicale.

Sequuntur cycli primi sexaginta dies, in quo tempore diminuti caloris via producere incipit spiritus prædominantes, qui adhuc parvi sunt, quia tempus frigidum; Ideo pulsus potius ingrediuntur, quam egrediuntur: Unde modò magni, modò parvi, modò longi vel breves promiscuè sunt. Sic primus Cyclus sexagenarius incipiens à tempore solstitii hyernalis incidit in undecimam vel duodecimam lunam, & pulsus illi indicant statum magnæ tertiae partis corporis & portæ vitæ. Secundus cyclus item sexaginta dierum (qui incidit in primam, vel secundam, vel tertiam lunam) in hoc tempore dominatur via puri & lucidi caloris in secundo ordine; Spiritus, qui tunc vigent, veniunt solidi, & tempus anni incipit esse clarus ac lucidus. Pulsus sunt natantes, magni & breves: Indicant vias hepatis & fellis.

Succedit tertius cyclus sexaginta dierum (qui incidit vel in tertiam, vel quartam, vel quintam lunam) magni caloris via dominatur illo tempore & in ordine tertio. Spiritus hujus temporis sunt multi & magni, ipsum tempus valde calidum, ideo pulsus adveniunt exundantes magni & longi indicantes statum parvorum intestinorum & cordis.

Postea tempore solstitii aestivi in cyclo quarto sexaginta dierum dominatur magni caloris primig. via. (Incidit cyclus in quintam, sextam vel septimam lunam) in quarto ordine. Spiritus perfecti sunt, & calor primig. est perfectissimus, incipitque producere humidum radicale & ejus spiritus, tempus est calidum & humidum, ideoque pulsus vehementes, magni & longi; Indicant pulmones & magna intestina.

Quintus cyclus sexaginta dierum (incidit in septimam, octavam vel nonam lunam) in hoc humidi radic. diminuti via dominatur in quinto ordine, spiritus caloris primigenii diminuuntur, & se recolligunt; At vero spiritus humili radicalis augen-

augentur. Ipsum tempus anni tepidum est & subfrigidum, adeoq; pulsus vehementes, subtile & parvi, indicant ureteres.

Sextus cyclus dierum sexaginta (incidit in nonam vel decimam lunam) dominatur in hoc tempore humidi radicalis via. Spiritus illo tempore humidi radicalis sunt intensi & perfecti: Tempus ipsum est frigidum seu glaciale & pluvium, ideoque sunt pulsus profundi, breves, graves, vel ponderosi, & indicant vesicam seu renes.

Recensisti hi pulsus non possunt vocari æquales, & absolu-  
tè sano homini connaturales, sed nec posse dici contranatura-  
les aut infirmi hominis; Illos tamen hic retulimus, ut vel inde  
intelligas, quomodo tres viæ & origines caloris primig. domi-  
nia sua exerceant in circulo anni, ac pulsus causent in corpore  
humano.

Colligitur, spiritus pro varietate caloris & humidi va-  
riari &c.

Atque hæc sunt, quæ desiderabantur ad complementum  
clavis Medicæ, nam quæ sequuntur jam dudum in Europam  
missa sunt, & fortè præpropero prælo excusa, quibus adeo ite-  
rum describendis supersedemus, quæque procul dubio corre-  
ctioni repetito prælo subjicienda. Quandoquidem autem in  
hâc clavi Medicâ toties fiat mentio membrorum & intestino-  
rum, uti & viarum ab illis dimanantium, placuit hîc apponere,  
quæ in libris ipsorum continentur, singulorum imagines seu  
figuras. Anatomiam nullam habent, nisi hîc appositam figu-  
ram Anatomiā vocare volueris. Hinc quæ referuntur, ex  
traditione magis habere omnia credibile est; Adde, quòd di-  
cant, etiam in hominis demortui corpore multa dissolvi & dif-  
fluere, quæ in vivente sunt, adeoque in Anatomiâ multa adhuc  
posse latere perspicacissimos Anatomicos. Cæterùm obiter  
indaganti singularum viarum principia & terminos, quibus  
ajunt correspondere pulsus, multa sàne occurrunt, in quibus  
ibi contradicere videntur; Quo pacto enim, v. gr. hepatis,

quod ad dextram collocant, pulsus in sinistrâ manu explorari debet, & lienis cum stomacho in dextrâ, cùm ad sinistram collocetur: Adhæc, per quas venas ureterum via ad pedes terminari dicitur, quo item pacto tertiae regionis corporis via à manibus ad caput tendit, cùm hæc via spectare potius videatur ad supremam corporis regionem. Atque hinc dubitare licet, aterni pulsus utriusque manus eatenus duntaxat & eo ordine inter se distinguantur, quatenus correspondent ordini trium corporis humani regionum, earumque rectam aut pravam constitutionem indicant. Meritò item quæri potest, quidnam ipsi intelligi velint per vesicam, quam renum figurâ videntur exprimere, an succenturiatorum, an aliarum glandularum? nescio; Nam hoc membrum (quod Author clavis medicæ vocat vesicam) comparant duabus rubeis fabis majoribus, *lum teu* dictis, annexi dicunt immediatè post decimam quartam vertebram spinæ dorsi utrinque ad latera, singuli distant à vertebrâ duabus mensuris digitalibus, & tribus partibus, immediatè utrinque sunt infra stomachum, & umbilico directè correspondent. In medio collocatur porta vitæ seu calor primigenius, constitutus inter humidum radicale velut inter duas portas, à cordis venâ diminant dicti renes, & inferior via seu vena descendit ad magnum os, dein ascendit ad medullam spinæ dorsi, donec tandem perveniat ad medium capitis seu locum *sui hai*, medullarum (seu cerebri potius) mare dictum. Item alia hujusmodi multa, quæ hîc prætero, quæque incredibilia & ridicula potius videbuntur Europæis, nisi fortè credamus, Prisco- rum mentem Medicos tot nondum assequi potuisse, qui tamen mordicus per tot seculorum seriem juxta illos Artem suam exercere se jacitant, suâ scientiâ illâ Empiricâ seu experimentali duntaxat contenti; Nam revera rationem philosophicam rerum suarum dare nequeunt, & si quid lucis ab Europæo accipere queant, utique gaudebunt doceri, & lubenter fatebuntur, in multis se errasse, uti fatentur de Mathematicâ & Astrologiâ suâ sicet

licet vetustissimā, quam reformarunt Patres è Societate nostrâ Europæi, cum tanto plausu & fructu Christianæ legis hinc consecuto.

Ad figuras infra positas quod attinet, notandum, quòd vias illas seu loca cavitatum, (quas suis nominibus indigitant, & inter se distinguunt) duntaxat notent in ordine ad ustiones seu cauteria, & acuum punctionibus inter musculos, quæ ars priscis illis temporibus (quibus passionum adeoque interiorum morborum expertes erant, adeoque si quod malum parentur, ab exteriori promanare credebant) maximè vigebat, & quam usque hodie nondum se assicutos, utpote per tot seculorum vicissitudines dilapsam, ac veluti sepultam, ingenuè fatentur. Figuras autem viarum singularum per tot flexus & mæandros intra membra & intestina hactenus consequi non licuit, neque ullibi exstare intra Chinam putandum est. Quare solùm duntaxat cujusque viæ principium & finem in his figuris descripsiæ, omisis interioribus flexibus, uti & semitis seu rivulis venularum, per quos unaquæque membra & intestini via plerumque terminat, & ab alterius membra viâ excipitur, uti in descriptione & paradigmate circulationis videre est, de quâ quidem circulatione omnes omnino libri identidem ajunt. Et si Europæo forte videbitur phantastica; præsertim, ubi mensuram 810 chām (quæ continet octo mille & centum cubitos minores) in totâ circumvolutione 24. horarum assignant, nisi dicamus, singulis horæ quadrantibus singulas fieri revolutiones, aut certè singulis mediis horis unicam, seu universim 50. revolutiones intra 24: horas juxta cœlorum per 50. domos circuitum, quod ipsum asserunt etiam Sinarenses libri. Cæterum expertissimorum judicio & censuræ ego ignarus rerum hujusmodi Medicam Sinarum per 40. secula conservatam facultatem lubens relinquo & subjicio.


Cum reliquæ Tabellæ, quæ modò recensitas quinque sequuntur, omnes in Nobiliß. Dn. Andreæ Cleyeri Specimine Medicinæ Sinicæ, A. M. DC. LXXXII. Francofurti in lucem producto, jam prostent, easdem hîc repetere nolumus, sed potius curiosum Lectorem ad librum illum remittimus, indicatur tantum varietatem in inscriptionibus observatam, melioram interim pulsuum sub carpo explorandorum rationem tabula quinta exhibet.

Tabella V. quæ in Cleyeriano tractatu Tabulâ I. comparat, hanc habet inscriptionem : Monstri Sinarum anatomizati vera effigies.


Tabella VI. cum Cleyeriana Tabula numero, ut & sequentes reliquæ, coincidunt : & huic 6<sup>ta</sup> sequens addita est inscriptione : Pulmonis imago. Pulmo pondus habet trium librarum & totidem unciarum : sex folia, duas auriculas : adiacet spinæ dorsi tertio articulo : continet 24. vacuitates, per quas spiritus per cætera membra derivatur : trachea habet novem articulos seu annulos. Introspiratione dilatatur, exspiratione contrahitur. Hujus & cæterorum membrorum & intestinorum viam vide, ubi de circulatione agitur. Pulmo nascitur ordine quartus, perficitur ordine nonus.

Tabella VII. est cum hac adscriptione : Pulmonum via magnum humidum vehens terminatur ad manus, initium sumens à media regione corporis, seu potius ab ipsis pulmonibus. Notandum in his & sequentibus figuris medium tantum partem cavitatum notari, nam eo ordine de alia quoque parte, quæ eidem correspondet, judicandum esse. Continet ad lævam & ad dextram universim 22. cavitatum loca.

Tabella VIII. cum hac inscriptione. Intestinorum majorum figura. Majus intestinum pondus habet duarum librarum & 12. unciarum, longum est duas orgyas Sinic. & unum cubitum, seu cubitos undecim, latum quatuor mensuris digitalibus ; sed cùm gyros haber, capit mensuram unius tenui alimento-




Ad Append. Ann



Octo aggregationum seu scaturigenum Paradigma.  
Obium scaturigo.

Spirituum scaturigo.



PARADISE. PLENTY AND WANT. THE FARMERS OF PARADISE.

Paradigma quo tria loca determinata pulsuum explorandum designantur.


Utriusq; manus ea-  
dem est ratio.



R. 1. fol. 41.



10 cubitidis mensura 10 digitales  
mensuras continens.



Vetus codex primo loco assignat pulsum cordis et pericardii.

Secundo loco pulsus epatis et diaphragmatis.

Tertio loco pulsus renum ad sinistram et gracilium intestinorum et ureterum.

Vetus codex dextre primo loco assignat pulsum pulmonum et meditullii pectoris.

Secundo loco pulsus stomachi seu ventriculi et lienis.


Tertio loco pulsus renum ad dextrum et magnorum intestinorum.



Ordo pulsuum in sinistra et dextra manu juxta veterem codicem et juxta modernos, qui auctore Van, Xo ho (floruit hic mille ab hinc circiter annis) cum ex ordine circulationis in veteri codice contente didicissent, intestina gracilia cum corde, et crassa cum pulmone relationem magnam habere ordinem pulsuum non-nihil immutandum censuerunt, quos item refutavit hujus seculi Scriptores medici. Notandum hic quoq; bifurcari dividit renes, sicut horum similes ad sinistram dexter ad dextram pertinent, et prout ad dextram eportant vena inter renum utrumq; colloquant.

and among others to the next  
but for the remainder of the day  
the remainder of the day  
the remainder of the day

and among others to the next  
but for the remainder of the day  
the remainder of the day  
the remainder of the day



and among others to the next  
but for the remainder of the day  
the remainder of the day  
the remainder of the day

Regula pulsus sui ipsius explorandi, circumducendo dextram ad pulsus sinistram, sic ut index exploret primum locum pulsuum, uti infra.



Regula pulsus alterius hominis explorandi, sic ut index respondeat primo pulsuum loco, medius digitus secundo, annularis tertio loco.



an. fischerus. amst. zu mth. zeling. d. 15.  
m. 15. auf dem ead. w. m. am. d. 15. v. 15.

Tab. VI.

Delineatio caritatum vel locorum pulsuum et trium partiū corporis.

Fūm fū. i.e. venterum urbs: locus in occipitis parte ima, ubi extremitatiū capiti statū pulmonis indicant.

Fēl pē. i.e. natura albēdo. locus in occipite infra aures.

Kī muēn. i.e. extremitatum: locus infra mammillam, prodit originem intestini magni.

Kī Kell. i.e. spirituum os in dextera ante locum Quān.

Kī Hāl. i.e. spirituum mare, uno et dimidio infra umbilicū dīgīto distans locus.

Quān yūen i.e. limes originis infra umbilicum tribus bus et dimidio dīgīti articulo: perfectiorum spirituum receptaculum. Prodit originem ad vesicam.

Chūm yām. i.e. penetratio viarum caloris primigenii in pēdum superiore parte, ab imo et extremo ossē tribus dīgīti articulis distans. Prodit originem ad ventriculū.

Tū Kī. i.e. magna lacuna, ad latera pēdum supra talūm, sunt illi pulsus. Mares in pēde sinistro, feminæ in dextro habent.

Xām cīāō. i.e. suprena pars corporis à vertice usq; ad os supremū stomachi infia cer et pectus.

Chūm cīāō. i.e. media pars corporis à stomacho ad ventris medianum: continet fel, hepār, stomachum et ventri.

Hīa cīāō. i.e. infima pars corporis, à ventris inferiore ore ad plantas pēdum.

Gīyīn. i.e. hominis obviantis seu viarum humili radialis et caloris primigenii occursus in sinistra: prodit originem epatis et fellis.

Tān hēn. i.e. rubeus ager, locus tribus infra umbilicum digitis.

Tai chūm. i.e. magna penetratio in ipso planta pedis medio. Dicitur et porta rite, quia cessante illic pulsu, moritur æger.

Ad Append. A

IV. 5. 11

and my heart is waiting for you to make me a friend  
to you.

Yours ever so much **X** and when we meet again  
you will see how I have changed.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

Yours ever so much  
I am a good man now  
and you will be surprised at my  
change. And I will return  
to you soon.

mentorū & aquæ septem mensuras cum dimidia. Hujus os superius est gracilium intestinorum os inferius.

Tabella IX. hanc habet inscriptionem : Majorum intestinorum via lucidi caloris à manibus ad caput , continet loca cavitatum utrinque quadringenta.

Tab. X. hac cum adscriptione : Stomachi figura. Stomachus pondus habet duarum librarum & quatuordecim unciarum, longitudinem duorum cubitorum & sex mensurarum digitalium , capit duas mensuras alimenti & unam & dimidiam aquæ. Inferius os est gracilium intestinorum os superius.

Tab. XI. hujus est inscriptionis : Stomachi via ludici caloris à capite ad pedes. Continet utrinque cavitatum loca nonaginta.

Tab. XII. cum hac inscriptione : Lienis figura. Lien pondus habet 2. librarum & 3. unciarum : altus quinque mensuris digitalibus , latus tribus : pinguedo illi adhærens medium libram continet. Est infra undecimam vertebram spinæ dorsi.

Tab. XIII. c. h. i. Lienis via magni humidi à pedibus terminatur ad cor : continet cavitatū loca utrinq; quadraginta duo.

Tab. XIV. c. h. i. Cordis figura. Cor habet pondus 12. unciarum : continet 7. cavae, 3. pilos : capit liquoris purissimi 3. pugillos : adhæret quintæ vertebræ dorsi. Quatuor membra pendent à corde , cui subjacent. Cor nascitur ordine secundum , perficitur ordine septimum.

Tab. XV. c. h. i. Cordis via diminuti humidi ab ipso corde ad manus. Continet cavitatum loca octodecim utrinq;

Tab. XVI. c. h. i. Intestinorum minorum sive gracilium figura. Horum os superius est stomachi os inferius , & hoc est magni intestini os superius. Habent pondus 2. librarum & 4. unciarum , longitudinem 12. cubitorum : sedecim gyros habent, capiunt alimenti mensuras duas & ferè medium, aquæ medium mensuram & amplius aliquid.

Tab. XVII. Eadem inscriptio huic est, quæ Tabulae Cleyrianæ.

Tab. XVIII.

Tab. XVIII. c. h. i. Ureterum figura. Os superius adjacet gracilibus intestinis : Ureterum pondus est novem unciarum & duorum scrupulorum.

Tab. XIX. Inscriptio cum Cleyeriana coincidit.

Tab. XX. c.h.i. Renum figura. Renes pondus habent unius libræ & duarum unciarum , & sunt aquæ seu spirituum seminalium adeoq; vitæ & duodecim viarum fontes: intra secundinam ( ut ajunt ) & intra umbilici nodum minimum quid, quod ibi nascitur est principium vitæ , dein in duos veluti ramulos seu ( uti videtur ) renes utrinque dividitur.

Tab. XXI. Inscriptio Cleyerianæ responderet.





liquoris capit.

Tab. XXV. Eadem inscriptio cum Cleyeri.

Tab. XXVI. c. h. i. Hepatis figura. Hepar situm est infra nonam vertebram spinæ dorsi , pondus habet duarum librarum & 4. unciarum. Ad dextrum continet 4. folia , ad lævam verò tria. Nascitur ordine tertium, perficitur ordine octavum.

Tab. XXVII. Tab. XXVIII. & XXIX. cum Cleyerianis conveniunt.





#853684060

